De

L. A. SENECAE LIBRORUM DE IRA FONTIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

TRADIDIT

GUILELMUS ALLERS

BRUNSVICENSIS.

TYPIS EXPRESSIT FR. AUG. EUPEL, SONDERSHUSAE.

MDCCCLXXXI.

VENUM DAT G. CALVŒR, GOTTINGAE.

CAROLO DILTHEY

HERMANNO SAUPPE

PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS.

S.

Rem arduam atque difficilem mihi videor subiisse, cum consilium ceperim fontes indagandi, quos secutus Seneca, summus sane Romanorum philosophus, libros tres de ira composuerit. Nam hic is est, qui et auctores suos potissimos saepissime reticeat[1]) et multorum scriptorum idem argumentum tractantium libros perscrutatus, quae sibi placerent, elegerit. Quamvis enim Stoicorum sectae praecipue faveret, tamen saepe non dubitavit Peripateticorum Academicorum Epicureorum aliorumque philosophorum placita suae philosophiae accommodare. Quod ipse multis locis libere confitetur: cf. dial. VII, 3, 2. VIII, 1, 4; 3, 1. epp. 45, 4; 80, 1.

---

[1]) Ut alia omittam, hoc pro certo habeo, quamvis nusquam apud eum Crantoris nomen inveniatur, huius tamen celebratissimum et aureolum librum *περὶ πένθους* inscriptum maxime illi pro fonte fuisse ad componendas tres consolationes (ad matrem Helviam, ad Marciam, ad Polybium), id quod collatis Ciceronis Tuscul. disp., Lactantii divin. instit., Plutarchi consol. ad. Apoll., Stobaeo aliisque scriptoribus satis apparebit. cf. modo: Plut. cons. ad Apoll. vol. VI. p. 388 ed Reiske: *τὸ μὲν οὖν ἀλγεῖν καὶ δάκνεσθαι κτλ.*, Cic. Tusc. III, 6: nec absurde Crantor ille, eqs., Sen. cons. ad Helv. 16. 1 ed. Haase: nam et infinito dolore, eqs. eiusdem cons. ad Polyb. 17. 2: nam et non sentire mala sua, cett., Cic. Tusc. III, 29: natura affert dolorem, cett., Sen. ep. 99, 18: cum primus nos nuntius acerbi funeris perculit, cett., ad Helv. 17, 1: scio rem non esse in nostra potestate, cett., ad Marc. c. 7. — Plut. cons. ad Apoll. vol. VI. p. 437 ed. Reiske: *πολλοῖς γὰρ καὶ σοφοῖς ἀνδράσιν, ὥς φησι Κράντωρ κτλ.*, Cic. ap. Lactant. div. instit. III. 18, 10; 19, 14, Sen. ad. Marc. 22, 3: itaque si felicissimum est, eqs, cf. Soph. Oedip. Colon. 1223 sqq., Eurip. ap. Stob. flor. CXX. 22, Phalarid. ed Lennep p. 252, Wyttenb. ad Plut. vol. VI. p. 769, Mullach. fragm. philos. gr. vol. III. p. 146 sqq.; adde: Sen. cons. ad Marc. 13, 1 et Plut. cons. ad Apoll. VI. p. 451 *Ξενοφῶντα δὲ τὸν Σωκρατικὸν θύοντά ποτε, παρὰ*

Quod cum ita sit, cavendum est ne in ulla tractanda materie unum solum veterem philosophum fontem ei fuisse contendamus, etsi negari non potest hunc vel illum prae ceteris ab eo excerptum esse. Quare, ubi Stoici exstarent, qui aliquod argumentum satis copiose tractassent, ibi hos inprimis exhaustos esse sumere possumus. Alii vero philosophi, quorum hic illic in scriptis suis mentionem facit Seneca, utrum ipsorum ex libris sint cogniti et commemorati, an ex fonte aliquo derivato, quaestio est. Quae res cum sit difficillima scriptis veterum maximam partem deperditis, saepe nisi conjectura ad veri speciem redigi non potest. Sed de omnibus eius scriptis diiudicare noluimus: artior cogenda nobis materies: et inquirendum quidem in fontes librorum, quos de ira Seneca conscripsit.

Cuius dialogi argumentum pertinet ad eam philosophiae partem, quam moralem vocant. Ira enim affectus est. Omnes autem affectus contendunt Stoici nasci aut ex opinatis bonis aut ex opinatis malis. Quae bona cum esse possint vel praesentia vel futura, quattuor apparet effici affectus: ex opinatis bonis praesentibus laetitiam (*ἡδονὴν*), libidinem (*ἐπιθυμίαν*) ex futuris — ex opinatis malis praesentibus aegritudinem (*λύπην*. cf. Diog. Laert. VII, §. 110.), metum (*φόβον*) ex futuris. cf. Cic. Tusc. disp. IV, 6, 11. Iram deinde subiungunt libidini.

Hanc de affectibus disciplinam Stoici primi excoluerunt, cum priores philosophi eam tantum praestrinxissent. Quam ob rem omnes fere Stoici libros de affectibus (*περὶ παθῶν*) composuerunt: Zenon Citieus (Diog. Laert. VII, §. 4; §. 110.), Ariston Chius (Galen. plac. Hippocr. et Plat. V. p. 468

τῶν ἀγγέλων ἀπὸ τοῦ πολέμου sq., Sen. cons. ad Marc. 11. 1 quae deinde ista suae publicaeque condicionis oblivio est? Mortalis nata es, mortales peperisti, et Plut. cons. ad Apoll. VI. p. 441. ed. Reiske: *ὁ οὖν ἢ αὐτὸς μέλλων — ὅτι καὶ αὐτὸς ἄνθρωπός ἐστι, καὶ τὰ τέκνα θνητὰ ἐγέννησεν;* Sen. ibid. §. 2: nosce te, Plut. ibid. p. 442 *τὸ γνῶθι σαυτόν.* Plures locos conquirere non est huius loci, quamquam haud difficile erit demonstratu, quam multa Seneca in consolationibus suis tribus Crantori debeat.

ed. Kuehn), Herillus (Diog. Laert. VII, §. 166), Chrysippus (Galen. plac. Hippocr. et Plat. V, p. 448 et aliis saepissime locis), Sphaerus (Diog. Laert. VII, §. 178), Hecaton (Diog. Laert. VII, §. 110), Posidonius Rhodius (Galen. plac. Hipp. et Plat. V, p. 378, 366 et saepius). Praeterea alii eandem materiam tractaverunt, ut Aristoteles (Diog. Laert. V, 23 cf. Val. Rose „Pseudepigr.“ p. 107), Theophrastus (Diog. Laert. V, 45), Xenocrates (Diog. Laert. IV, 2, 9). Quorum omnium nisi fragmentis cognitionem non habemus, accuratiorem Chrysippi et Posidonii Rhodii per Galenum.

Sunt autem etiam veterum philosophorum, qui de ira ipsa singulares libros composuerunt partim usque ad nostram aetatem servatos partim paucis excerptis aut nominibus tantum commemoratis nobis cognitos. Cuius generis sunt Bion Borysthenita, ut videtur, Theophrasti discipulus, quem Philodemus in libro *περὶ ὀργῆς* citat (p. 17, 16, ed. Gomperz), Antipater Tarsensis (cf. Athen. 14, 643), Sotion Alexandrinus, Senecae praeceptor, cuius librorum *περὶ ὀργῆς* Stobaeus in florilegio pauca servavit (14, 10; 20, 53; 108, 59; 113, 15.), Plutarchus, quem composuisse librum *περὶ ὀργῆς* idem Stobaeus est auctor (flor. 20, 70): illius generis Philodemus, cuius de ira liber inter alia eiusdem philosophi aliorumque scripta ex ruinis Herculanensibus hoc saeculo repertus est, Plutarchus de ira cohibenda (*περὶ ἀοργησίας*). Ex his igitur fato nobis servatis sive librorum reliquiis sive plenis libris quid erui possit ad cognoscendos Senecae in libris de ira varios fontes, nunc demonstrare conabimur. In omnibus enim tribus libris Annaeanis plures philosophi Peripatetici Academici Stoici aliique commemorantur, quorum verba aut impugnantur aut ad fulciendas scriptoris sententias accersuntur: nomina invenies Platonis Aristotelis Theophrasti Hieronymi Zenonis Sextii. De quibus ut summatim hoc loco dicam, veri dissimile est tres Peripateticos a Seneca esse excerptos, cum prae ceteris, quod nemo negabit, Stoicorum scripta eum adhibuisse facile conicias et alios auctores consuluisse me hac disputatione effecturum esse sperem. Itaque, quae multa Aristotelis

verba afferuntur et impugnantur, parum simile veri est ex Aristotele ipso esse exhausta, sed potius ex discipulis eius aut Theophrasto aut Hieronymo. Cum autem Theophrastus unus maxime omnium discipulorum non solum quae Aristoteles docuerat ad verba fere posteris mandaret, sed etiam illius doctrinam magis magisque excoleret contraque alios tueretur, cumque Hieronymus Rhodius ex eis esset Peripateticis, qui suae ipsorum sectae placita moralia inverterent et propria via ac ratione philosophantes prorsus alia vel etiam scholae contraria invenirent (cf. Cic. de fin. II. 3, V. 5, Acad. pr. II. 131) — eam ob rem, quisquis Aristotelis de affectibus maximeque de ira disciplinam inquisiturus erat, eum Theophrasti opera evolvere ac pertractare optimum erat. Atque hoc a Seneca in libris de ira conscribendis factum esse equidem mihi persuasi[1]) et satis hoc appareret, si aut liber Theophrasti *περὶ παθῶν* (*ὀργῆς*) aetatem tulisset aut plura eius fragmenta exstarent; nam quae paucae illius libri reliquiae supersunt, nihil faciunt ad nostram inquisitionem.

Sequitur ut, qua ratione sentiam Hieronymi scriptis usum esse Senecam, paucis exponam. Quod semel tantum (III. 19. 3) apud Annaeum in illis libris Hieronymi nomen invenimus, non statim commovemur, ut ex eo illum hausisse existimemus. Inde autem veri similius hoc fit, quod apud Plutarchum in libello, quem scripsit de ira cohibenda, bis Hieronymi sententiae afferuntur. Primus locus sic legitur (VII, p. 784 Reisk.): *οὐκ ἤρεσκεν οὖν μοι καίπερ ἄλλα πολλὰ χρήσιμα λέγων καὶ παραινῶν ὁ Ἱερώνυμος ἐν οἷς οὔ φησι γινομένης, ἀλλὰ γεγενημένης καὶ οὔσης αἴσθησιν ὀργῆς εἶναι διὰ τὸ τάχος. οὐδὲν γὰρ οὕτω τῶν παθῶν συλλεγόμενον καὶ διακινούμενον ἔχει τὴν γένεσιν ἐμφανῆ καὶ τὴν αὔξησιν.* Quibus verbis contra Hieronymum nititur Plutarchus, quod

---

[1]) Hac in re mecum consentit etiam Val. Rose, qui in libro suo „Aristoteles Pseudepigraphus“ p. 107 seqq. p. 111 Senecam, ubi in libris de ira Aristotelem nominet, Theophrastum cogitasse judicat, utpote negligentia quadam scriptores veteres autistiti sectae tribuerint, quae discipulis potius debeantur. cf. Val. Rose l. l. p. 109.

irae primos impetus propter celeritatem sentiri negat (cf. Sen. dial. V, 1, 3; 4. IV, 36, 6.), illaque dissensione maxime impellimur, ut etiam aliis eius libri locis eum a Plutarcho adhibitnm esse ducamus, praesertim cum dicat Hieronymum alia utilia de illa materie tradidisse. cf. Hillerum in satur. philol. H. Sauppio obl. p. 89. Alter autem locus invenitur ibid. VII, p. 805: *αὕτη μὲν οὖν ἴσως οὐκ ὀργῆς ἰατρεία φανεῖται, διάκρουσις δὲ καὶ φυλακὴ τῶν ἐν ὀργῇ τινος ἁμαρτημάτων· καί τοι καὶ σπληνὸς οἴδημα σύμπτωμα μέν ἐστι πυρετοῦ, πραϋνόμενον δὲ κουφίζει τὸν πυρετόν, ὥς φησιν Ἱερώνυμος.* Diserte his verbis Hieronymus vindictam (*τιμωρίαν*) in tempus differri monet, quo non iam ira sed ratio punitionem suadeat; id enim quamvis non sit sanatio, tamen esse cautionem eorum, quae irascendo peccentur, et comparationem instituit perturbationis, quae ab irascendo proficiscatur, cum corporis morbo: quam sententiam neque a Seneca neque Plutarcho alienam esse postea videbimus.

Quibus ex rebus concludo Senecam Hieronymi aliquem de affectibus sive, quod magis placet, *περὶ τιμωρίας* tractatum, cuius quidem, quantum scio, nulla exstat notitia, ~~librum~~ excerpsisse. Accuratius tamen de hac re inquiri non potest, cum nulla alia Hieronymi eiusdem argumenti fragmenta nobis exstent, nisi quae accuratissima conquisitione forte postea congerentur. In collectione quidem illa, quam nuperime Hillerus (satur. philol. H. Sauppio obl. p. 85 sq. cf. p. 89) publici iuris fecit, nihil praeterea eiusdem argumenti invenimus.

Mittamus igitur interim Hieronymum et statuamus, quid de Platone sit censendum. Citatur quinquies in Senecae dialogo, bis cum fragmenta, ter dicta quaedam eius afferuntur. (cf. III, 6, 5; 19, 7; IV, 20, 2; 21, 10; V, 12, 5—7). Prius illorum fragmentorum (III, 6, 5), etsi de ira est, tamen ita appendicis instar quaestionem finit et cum haesitatione quadam allatum est, ut illo loco plura ex Platone sumpta esse negare cogamur. Cum enim dicit: ‚et Platonis argumentum adferam: quid enim nocet

alienis uti ex parte qua nostra sunt?', indicat Seneca, se alicuius alienae sectae testimonio uti, quae hac de re aliter atque Stoici sentiat. Cumque Academici totam affectuum disciplinam minus excoluissent, non est mirum, si eos Seneca non est secutus. Alterum fragmentum (III, 19, 7.) nihil de ira ipsa profert, cum de puniendi ratione agat, ut mimine nos impellat, ut credamus Senecam ex Platone plura hausisse. De reliquis illis tribus locis non est quod verba faciamus, quippe quae multo recentiorem fontem sapiant.

Iam vero de Sextio, cuius et (IV, 36) fragmentum nobis servatur et (V, 36, 1) mos laudatur uniuscuiusque diei dicta factaque remetiendi, dicendum est. Hic igitur Sextius (vel Sextus), Quintus cognominatus, is fuit, qui c. a. 70 a. c. natus novae sectae auctor exstitit, quae Cynicorum Pythagoreorum Academicorum Peripateticorum Stoicorum philosophiam misceret (cf. Zeller histor. philos. graec. III. 1 p. 682 ed. III.), quamque inter initia sua exstinctam esse queritur Seneca (N. Q. VI, 32, 2). Cuius discipuli fuere Q. Sextius filius, Sotion Alexandrinus, Cornelius Celsus, L. Crassitius Tarentinus, Papirius Fabianus. Sotion autem praeceptor erat Senecae et scripsit duos vel plures libros de ira, quorum admodum pauca fragmenta in Stobaei florilegio asservantur. (cf. Nietzsche: Mus. Rh. XXIII, 639. Stob. flor. XIV, 10. XX, 53. CXIII, 15. Diels: doxogr. gr. p. 256). Fx his fragmentis accuratius XX, 53. inspiciamus, in quo similutudo cum loco aliquo Annaeano (IV, 10, 5) inest. Quae ut appareat, utrosque locos oculis subiiciam:

Σωτίωνος ἐκ τοῦ περὶ ὀργῆς β̄ (Stob. XX. 53).

Τοῖς δὲ σοφοῖς ἀντὶ ὀργῆς Ἡρακλείτῳ μὲν δάκρυα, Δημοκρίτῳ δὲ γέλως ἐπῄει.

Sen. IV, 10, 5.

‚Heraclitus quotiens prodierat et tantum circa se male viventium, immo male pereuntium viderat, flebat, miserabatur

omnium qui sibi laeti felicesque occurrebant, miti animo, sed nimis inbecillo: et ipse inter deplorandos erat. Democritum contra aiunt numquam sine risu in publico fuisse: adeo nihil illi videbatur serium eorum, quae serio gerebantur. Ubi istic irae locus est? aut ridenda omnia aut flenda sunt'.

Hanc tantam inter utrosque auctores similitudinem idem argumentum tractantes num casu natam esse censes? Nam quod Sotionis verba multo exiliora quam Senecae sunt, factum puto Stobaei vel auctoris, quem secutus est, excerpendi et compilandi ratione[1]).

Quod deinde apud Stobaeum (XX, 54) excerptum sequitur, in duo dividendum est, nam verba: *ὥσπερ δὲ πλοῖα* usque ad *καὶ ἀνδρεῖοι* cum eis, quae sequuntur nequeunt cogiungi et nescio cuius alius scriptoris sunt. Contra verba: *ὑποκριταῖς μὲν οὖν καὶ μὴ ὀργιζομένοις ὑποκριναμένοις* (cod. *ὑποκρινομένοις*) *ὀργὴν συνήνεγκεν· οἱ δὲ σπουδαῖοι ἄνδρες* (i. e. philosophi) *οὐδ' ἐὰν ὡς ἀληθῶς ὀργίζωνται, οὕτω χρῶνται τῷ σχήματι* Sotioni attribuenda sunt: concinunt enim cum Senecae verbis IV, 17, 1. ‚Nam et histriones in pronuntiando non irati populum movent, sed iratum agentes.'

Nunc locos illos inspiciamus, quibus Sextii fragmenta nobis traduntur. IV, 36 haec leguntur: ‚Quibusdam ut ait Sextius, iratis profuit adspexisse speculum. perturbavit illos tanta mutatio sui. velut in rem praesentem adducti non agnoverunt se'. Unde autem haec de Sextio sumpta sunt? Nam ex ipsius ore Senecam habere veri dissimile est. Sextius enim c. a. 70 a. Chr. natus esse perhibetur (cf. Zeller hist. phil. gr. III. 1. p. 676, 1, ed. III.), Seneca a. 3 p. C. Quodsi ita est, Sextius a. 18 p. C., quo anno Seneca philosophiae studere coepisse putandus est, annos circiter

---

[1]) De Heracliti austeritate, quae a multis antiquitatis scriptoribus commemoratur cf. Berays. „Die Heraklitischen Briefe" p. 61 sq., p. 78.

nonaginta natus fuisset, qua aetate vix a Seneca audiebatur. Et quia Sextium de ira librum composuisse nobis nusquam traditur, ex alio auctore Senecam illud sumpsisse puto. Quid autem verisimilius est quam hunc auctorem esse Sotionem in libris, quos scripsit de ira?[1] Accedit etiam, quod alio loco nobis narrat Seneca, se per Sotionem cur Sextius philosophus cibo animalium abstinnuerit audivisse (cf. ep. 108. 17 sq.); ab eodemque Sotione certior factus ille est, quam ob rem Pythagorei animalibus vesci noluerint (cf. l. l. Zeller I. p. 290 ed. IV). Nempe uterque et Sextius et Sotion multa ex Pythagoreorum disciplina sibi adsciverunt. De Sextio cf. Zeller l. l. III. 1. p. 681., de Sotione cf. ep. 108. 20. Ceterum multa apud Senecam invenies, quae Pythagoreorum philosophiam redolent quaeque haud dubie e scholis Sotionis, apud quem puer audivit (cf. ep. 49. 2), acceperat. Quae huius generis legenti mihi statim se obtulerunt, haec sunt: dial. V. 36. 1, VI. 24. 5, 25. 1, XI. 9. 3, XII. 11. 6, ep. 65. 16, cf. Mullach. fragm. philos. gr. vol. III. p. 6 not., Zeller l. l. I. p. 295, 6. ed. IV. ibid. p. 420.

Hac autem sententia probata etiam de Plutarchi aliquo loco coniecturam proferre audebimus. Qui postquam dixit se, ut iram deponeret, hominibus iratis, quorum facies color incessus vox in foedum mutata sibi visa essent, inspiciendis commotum esse, haec VII, 789 scribit: *ἐμοὶ δὲ εἴ τις ἐμμελὴς καὶ κομψὸς ἀκόλουθος ἦν, οὐκ ἂν ἠχθόμην αὐτοῦ προσφέροντος ἐπὶ ταῖς ὀργαῖς ἔσοπτρον, ὥσπερ ἐνίοις προσφέρουσι λουσαμένοις ἐπ᾽ οὐδενὶ χρησίμῳ, τὸ δὲ αὑτὸν ἰδεῖν παρὰ φύσιν ἔχοντα καὶ συντεταγμένον οὐ μικρόν ἐστιν εἰς διαβολὴν ὀργῆς.*[2] Nonne haec similitudo utriusque scriptoris tanta est ut cogitare cogamur aut alterum alterum compilasse aut utrumque communem fontem se-

---

[1]) Eandem sententiam postmodo vidi Zellerum nuperrime proferre hist. phil. gr. III. 1. p. 676, 3 ed. III.

[2]) cf. simile consilium Platonis ap. Diog. L. III. 39 de ebriis: *τοῖς μεθύουσι συνεβούλευε κατοπτρίζεσθαι· ἀποστήσεσθαι γὰρ τῆς τοιαύτης ἀσχημοσύνης.*

cutum esse? Si prius sumeremus, a Plutarcho illum excerptum esse necesse esset: quod non ita esse, quamquam multa alter alterius persimilia exhibet, magna diversitas quae inter utrumque intercedit scribendi rationis magnaque Plutarchei totius operis exilitas evinciunt. Itaque facere non possumus, quin ea in re eundem utriusque auctorem statuamus, quem aut Sotionem esse coniecerim aut aliquem ex antiquioribus scriptoribus sive Chrysippum sive Hieronymum aliumve.

Denique ultimum locum, quo Sextii apud Senecam commemoratio fit (V, 36, 1), conferentes nihil nos impedit, quominus hunc quoque e Sotione Senecam transtulisse putemus. Sextio enim morem fuisse narratur, ut consummato die, cum ad quietem nocturnam se recepisset, secum reputaret, quid quoque die profecisset, cui vitio obstitisset, quod malum sanavisset, quem Pythagoreorum morem fuisse supra jam monui.

Quae quamvis pauca sint, quibus nisi credamus Sotionis de ira librum a Seneca esse excerptum, tamen nescio an fieri possit, ut nova fragmenta reperiantur, quibus haec tam difficilis quaestio, si non solvatur, certe plus lucis trahat.

Omnia, quae adhuc disputata sunt cum ita in coniecturis posita sint, ut nihil certi adhuc effici potuerit, nunc multo uberiorem materiam adeamus, qua quidem ad certum nos venturos spero. Exstant enim, ut iam monui, loci nonnulli in scriptis Aristotelicis, qui cum Seneca comparari possunt, exstant duo libri, alter Philodemi Epicurei, alter Plutarchi Academici, quos de ira composuerunt, exstant denique apud Galenum multa fragmenta Chrysippi, quibus huius philosophi cum de affectibus opinio tum de ira continetur. In adiutorium praeterea vocandi sunt Cicero Lactantius Diogenes Laertius, in quibus omnibus multa ad nostram quaestionem pertinentia inveniemus.

De quibus nunc pauca monenda sunt.

Ac primum quidem de Philodemo dicamus. Qui qui-

dem philosophus, natus Gadarae in urbe Palaestinae, Epicureorum sectae addictus summam gloriam Ciceronis aetate sibi comparaverat. Multa scripsit, quorum magna pars in papyris Herculanensibus detecta non nihil ad philosophiam veterem eiusque historiam cognoscendam attulit. Aliis vero illius scriptis omissis hic tantum de libro eius *περὶ ὀργῆς* quaestio existet. Qui liber pars eius operis est, cui inscribunt *περὶ κακιῶν καὶ τῶν ἀντικειμένων ἀρετῶν* et pluries cum hoc una editus, ut in volum. Herculan. P. I et II. Oxonii 1824—25, in Herculan. vol. quae supers. collect. alterius tom. I. Neap. 1861. Separatim de ira librum Theod. Gomperz Lips. 1864 edidit, postquam quasdam columnas Leonh. Spengel in Philol. suppl. vol. II (1863) publici iuris fecit notisque nonnullis instruxit. De verbis emendandis nuperrime bene meritus est C. G. Cobet in Mnemosynae N. S. v. VI a. 1878 p. 373—386.

Ac ne primus Senecae Philodemique librorum quos de ira scripserunt comparationem instituisse videar, commemorandus est Zilchius, qui anno 1864 in programmate Gymnasii Marburgensis pauca de hac re chartis mandavit, sed ita, ut, quid ex ea comparatione efficiendum sit, ne verbo quidem indicaverit. Itaque non puto alienum esse a nostro consilio, hos duos scriptores accuratius inter se comparare et, quid inde ad fontes Annaeanos inveniendos concludi possit, ad diiudicandum proponere.

Sed male res se habet, cum tam laceratus mutilatus mendosus Philodemi liber nunc apud nos versetur, ut nonnumquam, quid auctor scripsisse videatur, ne coniectura quidem restitui possit.

Hoc autem pro certo intellegimus Philodemum Peripateticos, fortasse Theophrastum maxime, impugnare (cf. p. 107 sqq.), qui iram modicam laudarent eamque cotem virtutis censerent. Deinde contra Epicuri sententiam, qui sapientes parva ira affici contenderat, ne minimam quidem demonstrare studet eos concipere (cf. p. 119 sqq.), sed omnino *ἀπαθῆ* sapientem esse. Hanc Philodemi sententiam eandem esse atque Senecae postea

videbimus. Quos Philodemus auctores secutus sit, pro certo diiudicari posse non videtur. Plures autem fuisse eo elucet, quod philosophorum complurium sententias passim affert. Quin Epicuri librum, cui teste Diogene (X, 28) inscriptum erat περὶ παθῶν δόξαι πρὸς Τιμοκράτην inprimis exhauserit, non est dubium, praesertim cum Epicuri ipsius saepius nomen occurrat, ut p. 119, 149, 156. Praeterea Metrodorum quoque et Hermarchum Epicureos disputationis materiam suppeditasse puto, quorum disciplinam hac in re cum scholae principe consentire nonnulli loci testantur, cf. p. 48, 12. 149, 9, 13. Num Philodemo Nicasicrates[1]), quem Spengelius (l. l. p. 498) adversarium eius extitisse putat, pro fonte fuerit, addubitari potest. Nam loci illi duo, quibus Nicasicratis aliquae sententiae proferuntur censentis sapientem sibi ipsi interdum nocere et iram non solum ex sua propia natura luctum parare, sed etiam rationi caliginem obducere (cf. p. 125 et 126), non alieni sunt ab Epicuri doctrina supra commemorata, qua sapientem nonnunquam in iram incidere putat (cf. p. 119, 149, 156). De Peripateticis supra iam monui. Quod vero attinet ad Stoicos, Chrysippi de libro περὶ παθῶν plura petita esse persuasum habeo, maximeque, ut mihi videtur, illa quae initio libri de animi corporisque morborum similitudine disputantur quaeque singula infra conferentur, nec eiusdem librum περὶ παθῶν θεραπευτικὸν ipse dissimulat (cf. p. 17). Quod praeterea (p. 113, 36) nobis occurrit nomen Antipatri, quem et ipsum Stoicum de ira scripsisse ex Athenaeo (lib. XIV, p. 643) compertum habemus, non tantum valet, ut Philodemum inde plurima habere statuamus. Ut ultimo loco de Bione dicam, quem περὶ ὀργῆς librum composuisse ex Philodemo (p. 17) comperimus, nihil constat, unde coniicere possimus, num quid is ex illo hauserit.

Ac pergamus nunc quam brevissime de Plutarchi li-

---

[1]) Hunc errore ductus Valent. Rose „Pseudepigr.“ p. 115 perperam Pasicratem esse conjecit.

bro, cui inscribitur *περὶ ἀοργησίας*, pauca praemittere. Quid sit ira, id quod veteres Stoici maxime quaesiverunt, non definit Plutarchus, sed nomine Fundani Sulla amico quaerente, ut quomodo iram leniverit atque prorsus removerit explicet, illud tantum curat, ut, quam periculosa sit ira quaeque eius causae multiplices et quemadmodum deponenda, adumbret. At frustra accuratum subtileque opus et bene excogitatum quaeres; nam maxima totius pars constat cum ex exemplis eorum virorum, qui aut iram compescuerint aut ei obtemperantes multa facinora commiserint, tum ex versibus innumerabilibus poetarum partim ad rem pertinentibus partim nil proficientibus. Hic idem mos poetarum versus sermoni intercalandi Chrysippo quoque opprobio factus est, quem Euripidis Medeam [1])

[1]) Ira Medeae apud veteres saepe describebatur, cuius rei testimonia sunt compluria epigrammata anthologiae graecae, quae C. Dilthey in Mus. Rhen. a. 1872 p. 312 adnotavit simul admonens, Senecam tragicum in describenda furente Medea notabilem in modum cum philosopho hominem iratum notante (de ira I. 3. 4) concinere. cf. Sen. Med. 594: Caecus est ignis stimulatus ira | nec regi curat patiturve frenos, | haut timet mortem: cupit ire in ipsos | obvius enses, Sen. de ira I. 1. 1, ceteris enim (adfectibus) aliquid quieti placidique inest, hic totus concitatus et in inpetu est doloris, armorum, sanguinis, suppliciorum minime humana furens cupiditate, dum alteri noceat, sui neglegens, in ipsa inruens tela et ultionis secum ultorem tracturae avidus. Sen. Med. 861 sq. vultus citatus ira | riget et caput feroci | quatiens superba motu | regi minatur ultro | quis credat exulem? [quem versum spurium habeo] | Flagrant genae rubentes, | pallor fugat ruborem: | nullum vagante forma | servat diu colorem. | Huc fert pedes et illuc, | ut tigris orba natis | cursu furente lustrat | gangeticum nemus. | Frenare nescit iras | Medea, non amores, | nunc ira amorque causam | punxere: quid sequetur? ibid. v. 385 sqq. Incerta qualis entheos gressus tulit | cum iam recepto maenas insanit deo | Pindi nivalis vertice aut Nysae iugis: | Talis recursat huc et huc motu effero | furoris ore signa lymphati gerens. | Flammata facies spiritum ex alto citat | proclamat oculos uberi fletu rigat | renidet. omnis specimen adfectus capit. | Haeret minatur aestuat queritur gemit | . . . . . | quo pondus animi vergat ubi ponat minas. | ubi se iste fluctus franget? exundat furor. cf. Sen. de ira I. 1. 3. 4; II. 35. III. 4.

ad fulciendas sententias suas fere totam libro inseruisse testis est Galen. plac. Hippocrat. et. Plat. V. p. 306. 308. 314. 326. Has nugas, quas ne apud Ciceronem quidem desiderabis, multo rarius Senecae in dialogis invenies. Ex adverso autem Epicurus nusquam aliunde libris immiscuisse testimonia perhibetur (cf. Diog. laert. X, 26: *γέγραπται δὲ μαρτύριον ἔξωθεν ἐν αὐτοῖς οὐδέν*), eandemque fere consuetudinem Philodemum sequi videmus, quippe qui rarissime poetas inducat.

Haec de Plutarcho. Jam de Chrysippi *περὶ παθῶν* fragmentis, quae apud Galenum l. a. maximam partem nobis servantur, dicendum erit. Scripserat enim Chrysippus quattuor libros de affectibus (cf. Galen. V, p. 379), quorum quartus nominabatur *θεραπευτικὸς* sive *ἠθικός*, alii tres logici, ut e Galeno nobis notum est (cf. Galen. IV. p. 820, VIII. p. 138; Philod. *περὶ ὀργῆς* p. 17). Ac tribus prioribus libris id maxime probare studuit, quid sint affectus, sintne naturales, an iudicio existant et quae eorum signa appareant. In libro vero illo *θεραπευτικῷ* quaesierat, quomodo sedari placarique prorsus possint, quamvis negari nequeat de evitandis et sanandis affectibus in tribus quoque illis libris praecepta hic illic prolata esse. Quam partem, ut supra iam dixi, cum a veteribus Stoicis neglecta esset, ne a Chrysippo quidem totam excultam esse, quae pauca eius apud Galenum extant fragmenta satis docent et effici potest ex librorum diversa ratione. Exculta est haec etiam pars demum a recentioribus Stoicis, qui multam operam navarunt, ut explanarent, quomodo affectus orerentur et quomodo caveri possent sanarique, ita ut veteres recentioresque Stoici invicem se explerent. cf. Heinze: de Stoicorum de affectibus doctrina dissert. Berol. 1860 p. 3, Cic. Tusc. IV, 9.

Quae igitur apud Senecam multa dantur praecepta de vitando curandoque irae affectu, haec maximam partem ex recentiore aliquo Stoico petita esse nobis persuadebimus. Quem tamen hac in quaestione secutus sit, pro certo decerni non potest. Coniici sane potest Posi-

donium ei disserendi materiam exaggerasse. Sed cum eius libri *περὶ παθῶν* paucis exceptis fragmentis quae nihil ad inquisitionem nostram faciunt, perierint, nihil affirmare audeo.

Secundo loco Ciceronem in adiutorium provocandum esse paullo ante commemoraveram. Quae cum facerem, maxime de illius Tusculanis disputationibus cogitabam, quarum liber quartus nonnulla cum Seneca congruentia profert. Atque constat hoc in libro Ciceronem Chrysippum fontem habuisse (cf. Bake in Posidon. reliq. p. 196, R. Kuehner in edit. sua Tusc. disp., Sorof praef. p. X ad Tischeri Tuscul. ed. sept.). Quodsi Cicero nonnullis locis ad verbum fere cum Seneca consentit, inde colligere debemus, cum alter alterum non compilaverit, utrumque eodem esse usum fonte, Chrysippo.

Ex Lactantio denique atque Diogene Laertio quaedam petenda sunt ad notiones aliquas definiendas.

Haec in universum dicenda erant: nunc ad propriam disputationem accingamur, qua, quos Seneca in libris de ira fontes secutus sit, accuratius demonstrare conabimur. Ita autem inquisitionem nostram instituemus, ut deinceps singula capita dialogi Annaeani perscrutemur ad eaque fontium vestigia notemus.

Lib. I.

Initium facit Seneca disputationis suae ita ut dicat, qua causa permotus de ira scribere susceperit. Nam a Novato fratre suo, cui post Gallioni nomen erat, se rogatum esse, ut quomodo ira posset leniri secum communicaret. Eademque ratione eandemque ob causam etiam Plutarchum librum suum de ira cohibenda incipere iam vidimus. Pergit deinde Seneca iram describere affectum taeterrimum maximeque timendum. Cum ceteri quieti placidique aliquid habeant, hunc doloris armorum sanguinis suppliciorum cupidum esse idque agere, ut alteri noceat, sui neglegentem et in ipsa tela irruentem cf. Sen.

Med. 594 sq., supra p. 16). Itaque quosdam ex sapientibus iram dixisse brevem insaniam. (cf. III, 34, 2 ira et insania est.) Hanc sententiam etiam apud Philodemum invenimus, qui p. 60, 26 sqq. haec scribit: *μανίας (τοιγαροῦν) οὐχ .... εἶναι συμβέβηκε, (τὴν) ὀργὴν δέ τις εἴρηκεν, ἀλλ' ἐνίοτε τὴν (ὄντως κ)αλουμένην (μανίαν ὀ)ργὴν προς(αγορεύομεν)*. Et haec quidem minus certa leguntur propter laceratam papyrum, recte tamen nos sensum verborum eruisse alii scriptores testantur. Nam apud Ciceronem satis luculentis verbis idem dicitur, cuius in Tusc. disp. IV, 23, 52 haec exstant: ‚an est quicquam similius insaniae quam ira? quam bene Ennius initium dixit insaniae: vox oculi spiritus impotentia dictorum ac factorum, quam partem habent sanitatis?' Tusc. disp. III, 8 sq. idem omnem animi commotionem dicit insaniam sibi veteribusque philosophis visam esse et omnes insipientes (*φαύλους*) insanire, quod Stoici inprimis contendebant (cf. ibid. § 11: ‚eos enim sanos quoniam intellegi necesse est, quorum mens motu quasi morbo perturbata nullo sit: qui contra adfecti sint, hos insanos appellari necesse est. Itaque nihil melius quam quod est in consuetudine sermonis Latini, quum ‚exiisse ex potestate' dicimus eos qui effrenati feruntur aut libidine aut iracundia: quamquam ipsa iracundia libidinis est pars'). Etiam apud Galenum eandem sententiam legimus, cum haec scribit: (de propriorum animi cuiusque affectuum dignotione et curatione vol. V, p. 22 ed. Kuehn) *ὅτι γὰρ ὁ θυμὸς οὐδὲν ἀποδεῖ μανίας ἐξ αὐτῶν ἤδη ὧν ποιοῦσιν οἱ θυμούμενοι μαθεῖν ἔστρὶν· παίοντες γὰρ καὶ λακτίζοντες καὶ κατασχίζοντες ἱμάτια καὶ θορυβῶδες ἐμβλέποντες ἕκαστα πράττουσιν ἄχρι τοῦ, καθάπερ ἔφην, καὶ θύραις καὶ λίθοις καὶ κλεισὶν ὀργίζεσθαι καὶ τὰ μὲν καταράσσειν, τὰ δὲ δάκνειν, τὰ δὲ λακτίζειν*. (cf. Sen. II, 35, 8 pulcherrima ora foedavit, torvos voltus ex tranquillissimis reddit. — et sive amictus illis conpositus est ad legem, trahent vestem omnemque curam sui effundent. Philod. p. 65, 9. *καὶ κατασχίζοντες τοὺς χιτωνίσκους*. cf. fragm. V.) Eodem modo Philemon [cf. Meineke frg. com. IV. 54] apud Sto-

baeum in flor. XX, 4 dicit: *μαινόμεθα πάντες ὁπόταν ὀργιζώμεθα*, et Horatius: Epp. I, 2, 62: ‚ira furor brevis est'.

Quae § 3 describuntur signa furentium, eadem esse irascentium § 4 multis verbis explanatur: ‚flagrant ac micant oculi, multus ore toto rubor aestuante ab imis praecordiis sanguine. labra quatiuntur, dentes conprimuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus et stridens, articulorum se ipsos torquentium sonus, gemitus mugitusque et parum explanatis vocibus sermo praeruptus et conplosae saepius manus et pulsata humus pedibus et totum concitum corpus magnas irae minas agens (cod. Madvig: magnas ruinas agens, Haupt: magnasque ore spumas agens, Koch: nugasque delirae mentis agens, quarum coniecturarum nulla mihi satis facit, sed quid sit scribendum, adhuc non video), foeda visu et horrenda facies depravantium se atque intumescentium!' — Haec eadem iratorum signa libr. II. c. 35, 3 sq. invenies: ‚nihil tamen aeque profuerit quam primum intueri deformitatem rei, deinde periculum. non est ullius adfectus facies turbatior. pulcherrima ora foedavit, torvos voltus ex tranquillissimis reddit.

„linquit decor omnis iratos".

et sive amictus illis conpositus est ad legem, trahent vestem omnemque curam sui effundent. sive capillorum natura vel arte iacentium non informis habitus, cum animo inhorrescunt. tumescunt venae. concutietur crebro spiritu pectus, rabida vocis eruptio colla distendet. tum artus trepidi, inquietae manus, totius corporis fluctuatio'. et III, 4, 1: ‚Ut de ceteris dubium sit, nulli certe adfectui peior est voltus, quem in prioribus libris descripsimus asperum et acrem et nunc subducto retrorsus fugatoque sanguine pallentem, nunc in os omni calore ac spiritu verso subrubicundum et similem cruento, venis tumentibus, oculis nunc trepidis et exsilientibus, nunc in uno obtutu defixis et haerentibus. adice dentium inter se arietatorum et aliquem esse cupientium non alium sonum quam est apris tela sua adtritu acuentibus. adice articulorum crepitum,

cum se ipsae manus frangunt et pulsatum saepius pectus [nego hoc idem esse atque quod Philodemus p. 36, 31 nominat *πήδησιν τῆς καρδίας*„ ut Zilchio placuit: cf. Progr. gymnasii Marburgensis 1864: nam illud Philodemi idem est atque Senecae ‚concutietur crebro spiritu pectus' II, 35, 4; hoc ‚pulsatum saepius' (scil. manibus) conferas cum enunciato illo I, 1, 4. ‚pulsata humus pedibus.'] anhelitus crebros tractosque altius gemitus, instabile corpus, incerta verba subitis exclamationibus, trementia labra interdumque conpressa et dirum quiddam exsibilantia. (cf. epp. 106, 5: ‚non puto te dubitaturum, an adfectus corpora sint, . . . tanquam ira, amor, tristitia: si dubitas, vide an voltum nobis mutent, an frontem adstringant, an faciem diffundant, an ruborem evocent, an fugent sanguinem.')

Quae sic tribus locis, ut ab ira deterreant, a Seneca tam multis verbis praeclare descripta sunt irae signa exteriora, his quamvis non tam copiosa, tamen similia apud Philodemum Aristotelem Plutarchum Galenum reperiemus.

Ac primum quidem quae ex Philodemi laceratis membris conferri possunt, apponamus.

Legimus p. 36, 12: *ἐκπυρώσεως* (cf. Sen. I, 1, 4, ‚multus ore toto rubor exaestuante ab imis praecordiis sanguine.' III, 4. ‚nunc in os omni calore ac spiritu verso subrubicundum ac similem cruento voltum), *διοιδήσεως* (cf. Sen. I, 1, 4. foeda visu et horrenda facies depravantium se atque intumescentium), *βριμώσεως* (cf. Philod. p. 84, 20. Sen. I, 1, 4: spiritus coactus ac stridens, III, 4, 2: anhelitus crebros tractosque altius gemitus, III, 3, 6: ira dirum quiddam atque horridum stridens. III, 32, 3: anhelamus), *τὸ μετεωρότερον ἆσθμα* (cf. Sen. II, 35, 4 acrior spiritus, intentior inpetus rupturus se nisi eruperit), *τὴν πήδησιν καρδίας* (Sen. II, 35, 4. concutietur crebro spiritu pectus. vide supra). Cumque in eadem pagina legimus: *διερεθισμοῦ* et *τὰς διαδιδομένας τῷ σώματι κινήσεις ἀσταθεῖς*, meminerimus verborum Annaeorum, quae legimus (I, 1, 4): ‚totum concitum

corpus', (II, 35, 3) ,totius corporis fluctuatio', (III, 4, 2) ,instabile corpus.' Quodque alter dicit: (I, 1, 4) ,flagrant ac micant oculi' vel (III, 4, 1) ,oculos nunc trepidos et exsilientes' - idem Philodemus (fr. I, 3—6) exprimit hisce verbis: ......, ἐν ταῖς ὀργαῖς ἔχει τοὺς ὀφθαλμούς, ἔστιν δ' ὅτε καὶ στιλβηδόνας προιεμένους, et quod apud illum (1, 1, 4) legimus: ,gemitus mugitusque et parum explanatis vocibus sermo praeruptus', nonne idem significat vox illa Philodemea (p. 36, 25) κραυγή? Ad minutissimum autem concinunt, quae apud Senecam leguntur verba (II, 35, 3): ,rabida vocis eruptio colla distendet' cum Philodemi verbis: (fr. I, 15) τὸν τράχηλον ἐντεταμένον, et quae eodem loco apud illum inveniuntur: ,tumescunt venae' (II, 35, 3) et ,venis tumentibus' (III, 4, 1) cum huius verbis (frg. I, 17): τὰς φλέβας ἀνοιδούσας. Quodque alter pluribus verbis circumscribit: ,torvos voltus ex tranquillissimis reddit' idem alter uno verbo exprimit: διαρίπτει (fr. II, 10) vel: σκυθρωπάζειν (p. 72, 19). Uterque tremorem articulorum commemorat, alter cum exhibet (II, 35, 3): ,tum artus trepidi', alter: τρόμους τῶν μελῶν (p. 41, 1).

Nunc vero perscrutemur, quae in scriptis Aristotelis pauca de externis irae signis produntur. Unus tantum apud eum exstat locus, qui huc facit, probl. 31, 3: ὀργιζόμενοι τοὺς ὀφθαλμοὺς μᾶλλον ἐπιδιδόασι πρὸς τὸ ἐρυθριᾶν (Sen. ,flagrant oculi'). Nec multo maiorem huius generis materiam apud Plutarchum inveniemus: adnotabo primum locum ex libro eius περὶ ἀοργησίας sumptum, ubi legitur (VII, p. 790 Reiske): ἡ δ' ὀργὴ φυσῶσα καὶ διατείνουσα τὸ πρόσωπον ἀπρεπῶς ἔτι μᾶλλον αἰσχρὸν ἀφίησι καὶ ἀτερπῆ φωνήν:

,κινοῦσα χορδὰς τὰς ἀκινητοὺς φρενῶν'.

(cf. Sen. I, 1, 4; ,foeda visu et horrenda facies depravantium se atque intumescentium - gemitus mugitusque et parum explanatis vocibus sermo praeruptus'.) Alter eiusdem scriptoris locus liceat apponi. (VII, p. 78): ὁρῶν ὑπ' ὀργῆς ἐξισταμένους μάλιστα καὶ μεταβάλλοντας ὄψιν χρόαν βάδισμα φωνήν.

Commemorandum etiam puto Chrysippum, cuius Galenus notabilia verba, quibus veterum medicorum, qui affectus oriri docebant corporis quibusdam partibus vehementissime commotis, morem sequitur, nobiscum communicat (V. p. 290 sq. Kuehn): ‚*κοινῇ δέ μοι δοκοῦσιν οἱ πολλοὶ φέρεσθαι ἐπὶ τοῦτο, ὡσανεὶ συναισθανόμενοι περὶ τὸν θώρακα αὐτοῖς τῶν κατὰ τὴν διάνοιαν παθῶν γιγνομένων, καὶ μάλιστα καθ᾽ ὃν ἡ καρδία τέτακται τόπον, οἷον μάλιστα ἐπὶ τῶν λυπῶν καὶ τῶν φόβων, καὶ ἐπὶ τῆς ὀργῆς, καὶ μάλιστα τοῦ θυμοῦ ἐκ τῆς καρδίας ἀναθυμιωμένου καὶ ὠθουμένου ἐκτὸς ἐπί τινα* (de quibus rebus vide infra), *καὶ ἐμφυσῶντος τὸ πρόσωπον καὶ τὰς χεῖρας, γίγνεται ἡμῖν ἔμφασις*'. ibidem p. 292 (de Chrysippo): *ἐν ταύτῃ τῇ ῥήσει συγχωρεῖν ἔοικεν ὁ Χρύσιππος τῷ παλαιῷ λόγῳ ζέσιν τινὰ τῆς ἐμφύτου θερμότητος ὑπολαμβάνοντι γίγνεσθαι κατὰ τὴν καρδίαν ἐν τοῖς θυμοῖς, ᾗ ζέσει τό τε διαφυσᾶσθαι τὸ πρόσωπον ἕπεται, καὶ σύμπαν ἐρεύθειν τε καὶ θερμαίνεσθαι τὸ σῶμα, καὶ σφοδρῶς πηδᾶν τὴν καρδίαν σὺν ταῖς κατὰ τὸ ζῶον ἁπάσαις ἀρτηρίαις* (cf. Galen. V. p. 270 . . . . . *ἔστιν ὅτε δ᾽ ἐρυθριῶντός τε καὶ θερμαινομένου καὶ σφοδρῶς ἐντεινομένου, καθάπερ ἐν τοῖς θυμοῖς* etc.). Ut tibi dem auctorem Romanum, qui Stoicos fontes secutus sit, en Lactantium habes, qui haec scribit (de ira dei c. 5 ed. Fritzsche): ‚quod si hominem quoque, qui modo sit sapiens et gravis, ira non deceat, siquidem cum in animum cuiusque incidit velut saeva tempestas tantos excitet fluctus, ut statum mentis immutet, ardescant oculi, os tremat, lingua titubet, dentes concrepent, alternis vultum maculet nunc suffusus rubor nunc pallor albescens: quanto magis deum non deceat tam foeda mutatio?' Admodum notabilis est Gellii locus (noct. att. I. 26) de Calvisio Tauro Platonico philosopho, qui interrogatus, num sapiens irasceretur, ipse quid sentiret de hac re explicuit eo, ut exemplum Plutarchi servo cuidam obirati afferret, qui *ἀοργησίαν*, quam libro laudaverat, etiam offensus probavit. Facit huc § 8, quae multa cum locis supra tractatis consimilia

habet. Ait igitur Taurus: ‚tum [postqum a servo monitus est, irasci turpe esse neque philosophum decere] Plutarchus lente et leniter: „quid autem“, inquit, „verbero, nunc ego tibi irasci videor? ex vultune meo, an ex voce, an ex colore, an etiam ex verbis correptum esse me ira intellegis? mihi quidem neque oculi, opinor, truces sunt neque os turbidum neque inmaniter clamo neque in spumam ruboremve effervesco neque pudenda dico aut paenitenda neque omnino trepido ira et gestio. Haec enim omnia, si ignoras, signa esse irarum solent“.[1])

Jam vero redeamus ad Senecam videamusque, quae alia primi libri in capite primo notanda sint. Foeditas atque periculum irae depinguntur effectusque eius damnantur. Legimus enim (I, 1, 1): ‚hic (scil. affectus) totus concitatus et in inpetu est doloris, armorum sanguinis suppliciorum minime humana furens cupiditate, dum alteri noceat sui neglegens, in ipsa inruens tela et ultionis secum ultorem tracturae avidus‘. Ad haec adiciamus talia (I, 5, 2): ‚illa (scil. ira) etiam carissimos perdere‘ (scil. vult) — ‚illa in periculum, dummodo deducat, descendere‘ — et haec (I, 11, 8): ‚in temeritatem enim prona est, et pericula dum inferre vult, non cavet‘.

Quid, quod Philodemus idem non minus atris coloribus atque Seneca irae effectus depingit multisque verbis foeditatem eius ante oculos nostros ponit? Exstant enim p. 95, 8 sq. haec: *τῇ γε μὴν ἀνεπιεικεῖ καὶ ἀνημέρῳ καὶ τραχείᾳ διαθέσει, πασῶν ὀλεθριωτάταις νόσοις, συνέζευκται τὸ πάθος, ἀφ᾽ ὧν εἰς πᾶσαν αἴκειαν τοῦ δοκοῦντος ἠδικη-*

---

[1]) cf. etiam Libanii sophistae exercitationem *ψόγον ὀργῆς* (vol. IV. p. 983 sq. ed. Reiske), qua continentur pauca, qnae ad nostram quaestionem pertinent simulque docent, in rhetorum scholis iram exercitationum materiam fuisse usitatam. In hoc igitur tractatu Libanius (vel discipulus eius aliquis) sic (p. 988) disputat: *τὸ δ᾽ ἁμαρτάνειν πυκνὰ τῆς ὀργῆς ἔργον οἶμαι· τοῦ λογισμοῦ μὲν παρεωσμένου, τοῦ θυμοῦ δὲ τυραννοῦντος. τὸν τοιοῦτον ἀεί γε βοᾶν ἀνάγκη. καὶ τὴν μὲν καρδίαν οἷον ἐκπηδᾶν νομίζειν, τὴν κεφαλὴν δὲ ὡσπερεὶ διΐστασθαι, φωνὴν δὲ ἀκραιφνῆ μὴ δύνασθαι δεικνύναι· τοὺς δὲ ὀφθαλμοὺς διαπύρους.*

κέναι προάγει καὶ βιάζεται μηδὲ τῶν φιλτάτων ἀπέχεσθαι μετ᾽ ἐπιθυμίας παντὸς ὠνουμένης ἃ ποθεῖ καὶ βριμώσεως θηριώδους οὐδὲ παυομένης ὡς τῆς τῶν λεόντων, ὅταν ἐκτὸς ὁ βλάπτων γένηται τῆς ὄψεως ἢ παύσωνται τῆς ἐνδείας, ἀλλ᾽ ἕως καὶ νεκρῶν προπηλακισμοῦ βαδιζούσης καὶ τὸ πέρας ὥσπερ εἰς αὐτὴν τιμωρίαν συντεινούσης. p. 137, 9 sq. *ὁ δ᾽ ἐν ταῖς ὀργαῖς εἰς τὰ μόνον βλάπτοντα τιμωρίας τε πρὸς τὴν ἀλλοτρίωσιν.* p. 113, 1 sq. (*ὀργῆς*) *βιαζομένης καὶ πολλάκις ἀνόπλους καὶ πρὸς τὴν φυλακὴν ἀποτυφλούσης καὶ πολὺ μᾶλλον αὐτοὺς τῶν ἐναντίων κακῶς διαθείσης.* —

Plures vero auctores hac in re comparandos non habeo, cum apud nullum alium simile quidquam reperiam. Pergamus igitur Senecam revolvere et quae deinceps disputat inspiciamus: ‚Aeque enim inpotens sui est, decoris oblita, necessitudinum inmemor, in quod coepit pertinax et intenta, rationi consiliisque praeclusa, vanis agitata causis, ad dispectum aequi verique inhabilis, ruinis simillima, quae super id, quod oppressere, franguntur.' Idem aliis verbis exprimit alibi, ut (I, 8, 1): ‚nihil rationis est, ubi semel adfectus inductus est iusque illi aliquod voluntate nostra datum est: faciet de cetero quantum volet, non quantum permiseris.' et (III, 3, 2): ‚necessarium est itaque foeditatem eius ac feritatem coarguere et ante oculos ponere, quantum monstri sit homo in hominem furens quantoque inpetu ruat non sine pernicie sua perniciosus et ea deprimens, quae mergi nisi cum mergente non possunt.' (cf. II, 3, 4.). Loquitur alias quoque de periculo quod etiam amicis ab iratis immineat, velut II, 36, 5: ‚amicissimis hostes vitandique carissimis.' III, 3, 3: ‚nec mandat ultionem suam, sed ipse eius exactor animo simul ac manu saevit carissimorum eorumque quae mox amissa fleturus est carnifex.'

Nec non Philodemum qui et ipse saepius iram facit obducentem caligine rationem, audiamus. Is enim p. 126, 34 sq. dicit: *παρὰ δὲ Νικασικράτει λέγεται τὸ τὴν φυσικὴν ὀργὴν μὴ μόνον κατὰ τὴν ἰδίαν φύσιν λυπεῖν, ἀλλὰ καὶ ἐπι-*

σκοτεῖν τοῖς λογισμοῖς. p. 89, 3 sq.: (οὐδ' οἷοί τε τὰ) δικαία κρίνειν. p. 48, 12: οὐ γὰρ ἐᾷ διακρίνειν ὁ θυμός. Quamque sit periculosus vel amicis homo ira incensus, cognoscas licet ex eodem p. 77, 15 sq.: οὐ μόνον τῶν οἰκείων ἐξ ἑκάστου χρειῶν ἀτευκτοῦσιν, ἀλλ' (οὐ)δὲ καὶ τῆς ἄνευ φιλίας καὶ συγγενείας ἐπιπλοκῆς ἐνίοις καὶ συλλαλήσεως διαγωγὴν ἐχούσης καὶ μάλιστα τοῖς ἰδιώταις ἐστέρηνται, vel p. 101, 17 sq. κἀπαντῶσι δὲ πολλάκι πολλαὶ συμφοραὶ καὶ φίλοις καὶ προσήκουσιν ἄλλως, ἔστι δ' ὅτε καὶ πατρίσι καὶ βασιλείαις.[1])

Accersamus tertium Aristotelem, cuius apud Stobaeum (flor. XX, 47) haec verba produntur: ἢ οὐχ ὁρᾷς, ὅτι τῶν ἐν ὀργῇ διαπραττομένων ἁπάντων ὁ λογισμὸς ἀποδημεῖ φεύγων τὸν θυμὸν ὡς πικρὸν τύραννον; et ib. 55: ὥσπερ ὁ καπνὸς ἐπιδάκνων τὰς ὄψεις οὐκ ἐᾷ βλέπειν τὸ κείμενον ἐν τοῖς ποσίν· οὕτως ὁ θυμὸς ἐπαιρόμενος τῷ λογισμῷ ἐπισκοτεῖ καὶ τὸ συμβησόμενον ἐξ αὐτοῦ ἄπονον οὐκ ἀφίησι τῇ διανοίᾳ προσλαβεῖν. Videmus igitur hac in re Aristotelem eiusdem cum Seneca esse opinionis.

Quid vero? Plutarchus nonne idem cum his consentit? Inspiciamus modo verba illa, quae ab eodem illo auctore ei tribuuntur (flor. XX, 70), e libro eius περὶ ὀργῆς desumpta: "Ὅσα δὲ ὀργῇ χρώμενοι πράττουσιν οἱ ἄνθρωποι, ταῦτα ἀνάγκη τυφλὰ εἶναι καὶ ἀνόητα καὶ τοῦ παντὸς ἁμαρτάνειν. οὐ γὰρ οἷόν τε ὀργῇ χρώμενον λογισμῷ χρήσασθαι.

Pluribus locis Cicero idem docet iratum sine ratione esse, ut Tusc. IV, 5, 10: ‚in participe rationis [parte] ponunt tranquillitatem, id est, placidam quietamque constantiam, in illa altera motus turbidos [i. e. πάθη affectus] cum irae tum cupiditatis contrarios inimicosque rationi.' ibid. IV,

---

[1]) cf. Libanium vol. IV. p. 185 ed. Reiske: πατὴρ ἥττων ὀργῆς, ἀφόρητος υἱέσιν, ὑβρίζων, ἐλαύνων, παίων· καὶ πολλοὶ τῶν γε τοιούτων ἀποδράντες, ἀλᾶσθαι μᾶλλον καὶ πτωχεύειν ἐδέξαντο· καὶ τοὺς ἀλλοτρίους σφισὶν οἴκους οἰκειοτέρους ἔκριναν. ὁ δ' ἀπὸ τῶν παίδων τὴν ὀργὴν ἐπὶ τὴν γυναῖκα μετενεγκών, ταχέως κἀκείνην ἐξήλασεν. ἔστι δ' οὓς καὶ φονέας. τοῖς μὲν γὰρ ἤρκεσεν ἀπελθοῦσιν ἀπηλλάχθαι κακῶν. τοῖς δ' ἔδοξε καὶ δίκην λαβεῖν καὶ νύκτας ἀναμείναντες, τῶν πληγῶν καὶ τῶν μαστίγων ξίφεσιν τὴν δίκην ἔλαβον.

15, 34: ‚ex qua concitantur perturbationes, quae sunt — turbidi animorum concitatique motus, aversi a ratione et inimicissimi mentis vitaeque tranquillae'. ibid. IV, 27, 59: ‚perturbatio quae est aspernatio rationis'.

Quae modo commemorata sunt accuratiorem inquisitionem exigere mihi videntur. Nam cum Seneca et Cicero dicunt iram esse rationi inimicam et ubi ira existat, ibi rationem fugari, hoc latiore sensu de reliquis quoque affectibus docent ex Stoica disciplina. Atque hac in re utrumque Chrysippum sequi, eis, quae deinceps disputabimus, demonstrare conabimur.

Zenon igitur, qui Stoicorum sectam condidit, *πάθος* esse voluit *ἄλογον καὶ παρὰ φύσιν ψυχῆς κίνησιν* (Diog. L. VII, 110. Stob. ecl. eth. II, p. 166), id quod Cicero (Tusc. disp. IV, 6, 11) vertit: ‚aversam a recta ratione contra naturam animi commotionem,' vel *ὁρμὴν πλεονάζουσαν*, quam Cicero l. l. dicit ‚appetitum vehementiorem.' Priorem autem definitionem etiam Chrysippum secutum esse Galen. V, p. 368 tradit, ipsis illius verbis usus: *δεῖ δὲ πρῶτον ἐντεθυμῆσθαι, ὅτι τὸ λογικὸν ζῶον ἀκολουθητικὸν φύσει ἐστὶ τῷ λόγῳ, καὶ κατὰ τὸν λόγον, ὡς ἂν ἡγεμόνα πρακτικόν. πολλάκις μέντοι καὶ ἄλλως φέρεται ἐπί τινα, καὶ ἀπό τινων ἀπειθῶς τῷ λόγῳ ὠθούμενον ἐπὶ πλεῖον, καθ' ἣν φορὰν ἀμφότεροι ἔχουσιν οἱ ὅροι τῆς παρὰ φύσιν κινήσεως ἀλόγως οὕτως γινομένης, καὶ τοῦ ἐν ταῖς ὁρμαῖς πλεονασμοῦ. τὸ γὰρ ἄλογον τουτὶ ληπτέον ἀπειθὲς λόγῳ, καὶ ἀπεστραμμένον τὸν λόγον, καθ' ἣν φορὰν καὶ ἐν τῷ ἔθει τινάς φαμεν ὠθεῖσθαι καὶ ἀλόγως φέρεσθαι ἄνευ λόγου κρίσεως, οὐχὶ εἰ διημαρτημένως φέρεται, καὶ παριδών τι κατὰ τὸν λόγον, ταῦτ' ἐπισημαινόμεθα, ἀλλὰ μάλιστα καθ' ἣν ὑπογράφει φορὰν οὐ πεφυκότος τοῦ λογικοῦ ζώου κινεῖσθαι, οὕτως κατὰ τὴν ψυχὴν, ἀλλὰ κατὰ τὸν λόγον.* cf. Stob. ecl. eth. II, p. 170: *τὸ μὲν ἄλογον καὶ τὸ παρὰ φύσιν οὐ κοινῶς, ἀλλὰ τὸ μὲν ἄλογον ὅσον τὸ ἀπειθῶς τῷ λόγῳ.* Quodsi a Zenone affectus *πάθος ἄλογον* nominatur, hoc intellegendum est, affectum rationi (*λόγῳ*) inoboedientem esse, neque cum his pugnat, si alias *πάθη λογικὰ* esse Stoicis

placuit[1]). Nam si dicunt ea *λογικὰ*, volunt intellegi, ex ea animi facultate oriri, quae est rationalis vel in qua ratio inest, id est *ἐν τῷ ἡγεμονικῷ*. Atque quod dicunt Stoici affectus esse contra naturam (*παρὰ φύσιν*), in hoc summum momentum inest. Nam cum finem (*τέλος*) esse vellent, hominem vivere *ὁμολογουμένως τῇ φύσει* (cf. Diog. L. VII, 87), affectus, quia contra naturam esse censebant, omnino evitandos vel radicitus exstirpandos putare eos oportuit. Cum vero affectus ex ea animi facultate, quae rationi propria esset, oriri existimarent, eo progressi sunt, ut ratione vel indicio fieri eos contenderent neque dubitarent affectus ipsos iudicia (*κρίσεις*) appellare. (Zeller: hist. phil. graec. III, 1. p. 226. 6, ed. III). Nihil igitur miri invenies, si apud Galenum leges (vol. V, p. 429): *Χρύσιππος μὲν οὖν ἐν τῷ πρώτῳ περὶ παθῶν δεικνύναι πειρᾶται κρίσεις τινὰς εἶναι τοῦ λογιστικοῦ τὰ πάθη. Ζήνων δ᾽ οὐ τὰς κρίσεις αὐτάς, ἀλλὰ τὰς ἐπιγιγνομένας αὐταῖς συστολὰς καὶ λύσεις, ἐπάρσεις τε καὶ τὰς πτώσεις τῆς ψυχῆς ἐνόμιζεν εἶναι τὰ πάθη. ὁ Ποσειδώνιος δ᾽ ἀμφοτέροις διενεχθεὶς ἐπαινεῖ τε ἅμα καὶ προσίεται τὸ Πλάτωνος δόγμα καὶ ἀντιλέγει τοῖς περὶ τὸν Χρύσιππον, οὔτε κρίσεις εἶναι τὰ πάθη δεικνύων, οὔτε ἐπιγιγνόμενα κρίσεσιν, ἀλλὰ κινήσεις τινὰς ἑτέρων δυνάμεων ἀλόγων, ἃς ὁ Πλάτων ὠνόμασεν ἐπιθυμητικήν τε καὶ θυμοειδῆ.*

Affectus autem cum iudicio et voluntate conciperentur, nisi iudicio et voluntate fugari et evitari non posse Stoici necessario concludebant. (cf. Sen. de ira lib. II c. 1, 2, 3).

---

[1]) Cf. Cic. Acad. poster. I. 10. 38 sq. quumque perturbationem animi illi (scl. Peripatetici et Academici) ex homine non tollerent, naturaque et condolescere et concupiscere et extimescere et efferri laetitia dicerent, sed ea contraherent in angustumque deducerent, hic (scl. Zenon) omnibus his quasi morbis voluit carere sapientem. Quumque eas perturbationes antiqui naturales esse dicerent et rationis expertes aliaque in parte animi cupiditatem, alia rationem collocarent, ne his quidem adsentiebatur. Nam et perturbationes voluntarias esse putabat opinonisque iudicio suscipi et omnium perturbationum arbitrabatur matrem esse immoderatam quamdam intemperantiam.

Capite deinde secundo Seneca postquam irae malos effectus enumeravit: caedes venena clades incendia (Senecam secutus Lactantius haec scribit (de ira dei c. 5): ‚si homo, qui habeat imperium ac potestatem, late noceat per iram, sanguinem fundat, urbes subvertat, populos deleat, provincias ad solitudinem redigat'), tertio transit ad iram definiendam et fingit aliquem sibi obstantem, qui neget, iram esse cupiditatem puniendi acceptam iniuriam. Nam cum saepe non illis qui laesissent irasceremur, sed etiam eis qui laesuri essent, inde effici, non nasci ex iniuria iram (§. 1). Et quoniam cupiditas puniendi nisi ex spe id assequendi, quod cuperetur, oriri nequiret, apparere, ubi nulla spes esset iniuriae ulciscendae, ibi ne iram quidem nasci posse (§. 2). Cum tamen saepe accideret, ut infirmissimi potentissimis irascerentur, quos ab illis poenam accepturos esse sperare non liceret (cf. Philodem. de ira p. 48, 4 sq.: *οὐ μὴν ἀλλ᾽ ἐνίοτε καὶ παρὰ πολὺ συμβάλλουσιν ἰσχυροτέρους*), inde elucere, non recte definiri iram cupiditatem ulciscendae iniuriae.

Cuius philosophi argumentatio cum ad fulciendam irae definitionem quandam a Seneca dissentientem sine dubio allata sit, ante tertii capitis initium ut lacunam statuamus, cogimur, qua in lacuna diversae et Senecae ipsius et aliorum philosophorum irae definitiones positae erant. Haec nostra sententia eo confirmatur, quod apud Lactantium, qui Senecam, ut iam vidimus et mox accuratius videbimus, est secutus, locus quidam invenitur. qui uno agmine plures definitiones exhibet (de ira dei c. 17): ‚Nescisse autem philosophos, quae ratio esset irae, apparet ex definitionibus eorum, quas Seneca enumeravit in libris quos de ira composuit. Ira est, inquit, cupiditas ulciscendae iniuriae; aut, ut ait Posidonius, cupiditas puniendi eius, a quo te inique putas laesum . q u i d a m i t a d e f i n i v e r u n t: I r a e s t i n c i t a t i o a n i m i a d n o c e n d u m e i q u i a u t n o c u i t a u t n o c e r e v o l u i t. Aristotelis definitio non multum a nostra abest. Ait enim iram esse cupiditatem doloris rependendi.'

Quarum definitionum primam Senecae esse apparet, tertiam vero incerti illius philosophi. Quod ut intellegas, accuratius definienda erit ‚incitatio animi', quam puto graece dictam esse ‚*ἐρεθισμὸν τῆς ψυχῆς*'. Est enim animi sine voluntate et ratione motio, adhuc non cupiditas. Nam concupiscere cum ratione est, nec concupisci potest, nisi perspecta virium facultate speratur (cf. Sen. I, 3, 2; II, 4, 1 ‚est primus motus non voluntarius sq. Zenon. apud Galen. V, p. 429: *Ζήνων οὐ τὰς κρίσεις αὐτάς, ἀλλὰ τὰς ἐπιγιγνομένας αὐταῖς συστολὰς καὶ λύσεις, ἐπάρσεις τε καὶ τὰς πτώσεις τῆς ψυχῆς ἐνόμιζεν εἶναι τὰ πάθη*). Quis autem sit hic Senecae adversarius, iam inquirendum est. Quodsi respicimus, apud Senecam (I, 3, 3) et apud Lactantium Aristotelis definitionem afferri et hanc non multum a Senecae definitione abesse, inde colligendum est adversarium illum Aristotelem esse non posse. Hic enim iram definivit cupiditatem doloris reponendi [1]). Nec potest dubitari, quin haec definitio ex Aristole sit sumpta, cum in libris nobis cognitis exstet: (de anim. I, 1) *διαφερόντως δ' ἂν ὁρίσαιντο φυσικός τε καὶ διαλεκτικὸς ἕκαστον αὐτῶν, οἷον ὀργὴ τί ἐστιν· ὁ μὲν γὰρ ὄρεξιν ἀντιλυπήσεως ἤ τι τοιοῦτον, ὁ δὲ ζέσιν τοῦ περὶ καρδίαν αἵματος ἢ θερμοῦ* (cf. infra) Fusius iram definivit (rhet. II, p. 1378a 31 sq): *ἔστω δὴ ὀργὴ ὄρεξις μετὰ λύπης τιμωρίας φαινομένης διὰ φαινομένην ὀλιγωρίαν τῶν εἰς αὐτὸν ἢ τῶν αὐτοῦ τοῦ ὀλιγωρεῖν μὴ προσήκοντος.* Praeterea illius incerti philosophi argumentationi (§. 1, §. 2) adversantur haec Aristotelis (Rhet. II, p. 1378b, 2): *ἡδὺ μὲν γὰρ τὸ οἴεσθαι τεύξεσθαι ὧν ἐφίεται, οὐδεὶς δὲ τῶν φαινομένων ἀδυνάτων ἐφίεται αὑτῷ, ὁ δ' ὀργιζόμενος ἐφίεται δυνάτων αὑτῷ,* et (Rhet. I, p. 1370 b, 12): *οὐδεὶς γὰρ ὀργί-*

---

[1]) Qui locus Annaeanus secundum Lactantium corrigendus est. Hic enim de ira dei c. 17 pro ‚reponendi' scribit ‚rependendi' quod optime quadrat ad Aristotelis verba ‚*ὄρεξιν ἀντιλυπήσεως*'. Alii ibi codices exhibent: „respuendi," „respondendi," nec possum astipulari Val. Rose, qui (l. l. p. 112) apud Lactantium Senecam secutus „reponendi" vult pro „rependendi" scribere.

ζεται τῷ ἀδυνάτῳ φαινομένῳ τιμωρίας τυχεῖν οὐδὲ τοῖς πολὺ ὑπὲρ αὐτοὺς τῇ δυνάμει· ἢ οὐκ ὀργίζεται ἢ ἧττον.

Sed quoniam et hoc loco et multis deinceps aliis (lib. I, 11, 1. 12, 1. 13, 3. 14, 1. 16, 6. lib. II, 2, 1. 6, 1. 11, 1 etc.) philosophi adversarii eiusdem placita inter se sensu cohaerere videmus eademque semper voce ‚inquit' disputationi inseri refellenda, unusquisque intelligit ad unum eundemque haec omnia philosophum esse referenda. Sunt autem illa, ut postea elucebit, omnino e Peripateticorum disciplina sumpta; itaque incertus ille auctor inter hos est numerandus. Quodsi inspicimus lib. I, 12, 1 sq. 14, 1, cogimur fere, ut Theophrastum sumamus Senecae adversarium (cf. supra p. 8).

Iam vero id inquiramus necesse est, unde habeat definitionem suam Seneca, dico: iram cupiditatem esse ulciscendae iniuriae. Quis est, qui non statim opinetur, hanc ex Stoico fonte esse haustam? Ac quaerentibus nobis occurrit locus aliquis apud Diogenem Laertium memoriae proditus (VII, 113), qui ex Chrysippi libro *περὶ παθῶν* sumptus videtur esse: *ὀργὴ δὲ ἐπιθυμία τιμωρίας τοῦ δοκοῦντος ἠδικηκέναι οὐ προσηκόντως.* Eandemque definitionem mutatis mutandis Stobaeus in eclog. eth. lib. II, p. 176 exhibet. Quo in loco sic legimus: *ὀργὴ μὲν οὖν ἐστιν ἐπιθυμία τιμωρήσασθαι τὸν δοκοῦντα ἠδικηκέναι παρὰ τὸ προσῆκον.* Haec definitio inest in illa eclogarum parte, cui inscribitur: *Ζήνωνος καὶ τῶν λοιπῶν Στωϊκῶν δόγματα περὶ ἠθικοῦ μέρους τῆς φιλοσοφίας,* et quam sumptam esse ex Arii Didymi Epitome nuperrime gravissimis argumentis H. Diels (doxogr. gr. p. 693 sq.) demonstravit. Quem Arius fontem habuerit, nondum satis constat; id vero simillimum veri est Chrysippum, definitionum peritissimum, ultimum fontem habendum esse (cf. Zeller: histor. philos. gr. III, 1. p. 228, 2 edit. III). Seneca igitur definitionem suam ex Chrysippo ipso petiisse putandus est, unde quam alia multa hauserit postea videbimus.

Neque praeterea desunt alii auctores, qui eandem vel similem irae definitionem perhibent. Ad verbum enim An-

dronicus consentit: ὀργὴ μὲν οὖν ἐστιν ἐπιθυμία τιμωρίας τοῦ ἠδικηκέναι δοκοῦντος ἢ λύπη μεθ᾽ ὑπολήψεως τοῦ ὀλιγωρεῖσθαι. Similiter Nemesius, qui Aristotelem sequi videtur: ἔστι δ᾽ ὅτε καὶ ὁ θυμός ἐστιν ἐπιθυμία ἀντιτιμωρήσεως· ἀδικούμενοι γὰρ ἢ νομίζοντες ἀδικεῖσθαι θυμούμεθα καὶ γίνεται τότε μικτὸν τὸ πάθος ἐξ ἐπιθυμίας καὶ θυμοῦ. (cf. Duebnerum ad Diog. Laert. VII, 113).

Postremo adiciendus est Cicero, qui in Tusc. disp. lib. IV, §. 21 hanc Stoicorum (id est Chrysippi, quem hoc libro sequitur, ut supra diximus), definitionem profert: ‚quae autem libidini [ἐπιθυμίᾳ] subiecta sunt, ea sic [scil. Stoici cf. IV, 11] definiunt, ut ira sit libido puniendi eius, qui videatur laesisse iniuria', et ibid. IV, 44: ‚nec vero solum hanc libidinem laudant [Peripatetici]: est enim ira, ut modo definivi, ulciscendi libido' (cf. Philod. p. 36, 14: δεινὴν ἐπιθυμίαν τοῦ μετελθεῖν).

Haec hactenus de irae definitionibus. Iam dicendum erit de illa quaestione subtiliore, quam inde a §. 4 cap. III Seneca pertractat disputando, num feris quoque ira [et alii affectus] possit attribui id, quod quodammodo Aristoteles statuerat. cf. Aristotel. hist. anim. IX. p. 608a 13: φαίνονται γὰρ [τὰ ζῶα] ἔχοντά τινα δύναμιν περὶ ἕκαστον τῶν τῆς ψυχῆς παθημάτων φυσικήν, περί τε φρόνησιν καὶ εὐήθειαν καὶ ἀνδρίαν καὶ δειλίαν, περί τε πραότητα καὶ χαλεπότητα καὶ τὰς ἄλλας τὰς τοιαύτας ἕξεις; VIII. p. 588a 18: ἔνεστι γὰρ ἐν τοῖς πλείστοις καὶ τῶν ἄλλων ζώων ἴχνη τῶν περὶ τὴν ψυχὴν τρόπων, ἅπερ ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων ἔχει φανερωτέρας τὰς διαφοράς· καὶ γὰρ ἡμερότης καὶ ἀγριότης καὶ πραότης καὶ χαλεπότης καὶ ἀνδρία καὶ δειλία καὶ φόβοι καὶ θάρρη καὶ θυμοὶ καὶ πανουργίαι καὶ τῆς περὶ τὴν διάνοιαν συνέσεως ἔνεισιν ἐν πολλοῖς αὐτῶν ὁμοιότητες. Seneca quidem illud negat et sequitur veterum Stoicorum sententiam, maximeque Chrysippi, qui feras ira carere docebant. Nam iram non existere nisi ubi rationi locus sit; ergo feras ira carere, quia careant ratione. Neque hoc contenti pauci eorum eo pertinaciae progressi sunt, ut ne pueros quidem irasci contenderent. — Hanc autem veterum Stoicorum

rigidam doctrinam vehementissime a Posidonio impugnatam esse Galenus multis locis libri saepius iam commemorati auctor extitit. Posidonius enim, ut in multis aliis rebus, ita etiam in doctrina de affectibus magis veteri Academiae favit quam Stoicis. Sed ut, quem auctorem hic secutus sit Seneca, efficere possimus, huius disputationem subiciamus oculis ipsius verba adscribendo: . . . . ‚dicendum est feras ira carere et omnia praeter hominem. nam cum sit inimica rationi, nusquam tamen nascitur, nisi ubi rationi locus est. Inpetus habent ferae, rabiem, feritatem, incursum: iram quidem non magis quam luxuriam. — irasci quidem non magis sciunt quam ignoscere. Muta animalia humanis adfectibus carent, habent autem similes illis quosdam inpulsus (cf. Heintze dissert. Berol. 1861 p. 6)'. Quae verba e Chrysippi sententia esse dicta confirmat Galenus, qui haec scribit: (V, p. 476) *ὁ δὲ Χρύσιππος οὔθ᾽ ἕτερον εἶναι νομίζει τὸ παθητικὸν τῆς ψυχῆς τοῦ λογιστικοῦ, καὶ τῶν ἀλόγων ζώων ἀφαιρεῖται τὰ πάθη φανερῶς ἐπιθυμίᾳ τε καὶ θυμῷ διοικουμένων, ὡς καὶ Ποσειδώνιος ὑπὲρ αὐτῶν ἐπὶ πλέον διεξέρχεται*, et (V, p. 338): *ὁ δὲ Χρύσιππος ἅμα τοῖς ἄλλοις Στωϊκοῖς ἐπὶ μὲν τῶν ἀλόγων ζώων ὁμόσε χωρεῖ πρὸς τὸ δόγμα μηδ᾽ ἐπιθυμεῖν φάσκων.* Maxime vero contra hanc Stoicorum sententiam nititur Galenus et acerrime in Chrysippum invehitur, cum dicit (V, p. 212): *ἄντικρυς μὲν ψευδῆ τὰ τοιαῦτα, περὶ ὧν ἐν τῷ πρώτῳ βιβλίῳ διῆλθον ἐπὶ πλέον, ὅταν ἤτοι μηδὲν τῶν ἀλόγων ζώων ἐπιθυμεῖν τις ἢ θυμοῦσθαι φάσκῃ, καθάπερ οἱ ἀπὸ τῆς στοᾶς*, et (V, p. 211): *ἠξίουν τε μηδὲν οὕτω φυλάττεσθαι κατὰ τὸν λόγον, ὡς τὸ τοῖς ἐναργῶς φαινομένοις ἐναντία τίθεσθαι, καθάπερ οἵ τε μηδὲν ἄλογον ζῶον ἐπιθυμεῖν ἢ θυμοῦσθαι φάσκοντες*. cf. p. 309, 370, 371.

Stoicos autem ne infantes quidem ira incitari contendisse idem Galenus testatur (V, p. 431): (*Στωϊκοὶ*) *μέχρι τοσούτου φιλονεικίας ἥκουσιν, ὥστ᾽, ἐπειδὴ τῆς λογικῆς δυνάμεως ἔφασαν εἶναι τὰ πάθη, τοῖς ἀλόγοις ζώοις μὴ μετέχειν αὐτῶν συγχωρεῖν, οἱ πλεῖστοι δ᾽ οὐδὲ τοῖς παιδίοις,*

ὅτι δηλαδὴ καὶ ταῦτ' οὐδέπω λογικά. V, p. 500: οἱ γοῦν παῖδες ὥσπερ καὶ τὰ θηρία θυμοῦ μὲν πλήρεις εἰσί, λογισμοῦ δ' ἥκιστα μετέχουσιν· ἐπὶ μὲν οὖν τῶν θηρίων ἐτόλμησαν ἔνιοι λέγειν οὔτε θυμὸν οὔτ' ἐπιθυμίαν ἐνυπάρχειν αὐτῶν ταῖς ψυχαῖς, ἐπὶ δὲ τῶν παίδων οὐκ οἶδ' ὅτι φήσουσιν. (cf. Bake: Posidon. reliq. p. 218, Sext. Empir. Πυρρω. ὑποτυπ. I. 69: κατὰ δὲ τὸν Χρύσιππον τὸν μάλιστα πολεμοῦντα τοῖς ἀλόγοις ζώοις καὶ τῆς ἀοιδίμου διαλεκτικῆς μετέχει.) Nec frustra Ciceronem hac de re consulemus, quippe qui in Tusc. disp. breviter hanc quaestionem tetigerit. Dicit enim (IV, 31): ‚illud animorum corporumque dissimile, quod animi valentes morbo temptari non possunt, corpora possunt, animorum non item, quorum omnes morbi et perturbationes ex aspernatione rationis eveniunt: nam bestiae simile quiddam faciunt, sed in perturbationes non incidunt'. cf. etiam M. Aurel. Anton. IX, 9.

Seneca postquam sic, quid esset ira numque bestiis adtribuenda, exposuit, pergit disserere quid intersit inter iram et iracundiam (cap. IV). Apparet eum ad Graecorum usum notionum ὀργῆς et ὀργιλότητος spectare, cum talem distinctionem faciat: Ira (ὀργή) affectus est, qui ad tempus nascitur nec semper nec facile iteratur, iracundia (ὀργιλότης) vero tum est, cum saepe ira et qualibet causa hominem invadit et morbus (ἀρρώστημα) animi fit. Sic autem Seneca rem illustrat: ‚quo distet [ira] ab iracundia adparet: quo ebrius ab ebrioso et timens a timido. Iratus potest non esse iracundus: iracundus potest aliquando iratus non esse'. Similiter Cicero differentiam irae et iracundiae explicat (Tusc. disp. IV, 27) his verbis usus: ‚ex quo in aliis anxietas, unde anxii, in aliis iracundia dicitur, quae ab ira differt, estque aliud iracundum esse, aliud iratum, ut differt anxietas ab angore: neque enim omnes anxii, qui anguntur aliquando, nec qui anxii semper anguntur, ut inter ebrietatem et ebriositatem interest aliudque est amatorem esse aliud amantem'. Cum exempla, quibus uterque utitur, paria sint, quamquam alter altero fusius disserit, facere non possum, quin hunc locum

ex eodem fonte, e Chrysippo, fluxisse putem. Magis, ut ex Graeco auctore eos hausisse credam, impellor ea causa, quod quam differentiam tam enucleate uterque explicuit, eam neutrum tenuisse ex ipsorum scriptis apparet. Nam promiscue verbis irae et iracundiae, irati et iracundi utuntur. Neque hac de re verba fecissent, nisi auctor quem sequebantur, ipse eum in modum disputasset.

Erant autem alia huius affectus nomina apud Graecos usitata, quibus apud Latinos verba deerant. Graeci enim iram vel *ὀργὴν* vel *θυμὸν* vocabant vel *ἀκροχολίαν* vel *πικρίαν* vel *βαρυθυμίαν* vel (ut poetae) *χόλον*, *μῆνιν*, *κότον*, quae verba Latini, quomodo verterent, laborabant. Confitetur hoc ipse Seneca I, 4. 2 sq. cum dicit: ‚Cetera, quae pluribus apud Graecos nominibus in species irae distinguunt, quia apud nos vocabula sua non habent, praeteribo, etiamsi amarum (cf. *πικρίαν* Aristot. de virtut. et vitiis c. VI) nos acerbumque dicimus, nec minus stomachosum (cf. *ἀκροχολίαν* Aristot. ib.), rabiosum (*ἄγριον* moral. Eudem. III, 3), clamosum (cf. *κραυγήν* Philod. p. 36, 25), difficilem (*χαλεπὸν* Aristot. Eth. Nicom. IV, 5), asperum (*δυςέριδα* ibid. c. VI) quae omnia irae differentiae sunt’ et sq.

Leguntur etiam apud Ciceronem irae species, quas certo ipse ex auctore suo Graeco sumpsit (Tusc. disp. IV, 21): ‚quae autem libidini subiecta sunt, ea sic definiunt, ut ira [*ὀργή*] sit libido poeniendi eius, qui videatur laesisse iniuria, excandescentia [*θυμὸς*] autem sit ira nascens et modo existens (quae *θύμωσις* Graece dicitur), odium [*μῆνις*] ira inveterata, inimicitia [*κότος*] ira ulciscendi tempus observans, discordia [*φιλονεικία*) ira acerbior, intimo odio et corde concepta’.

Restant etiam alii auctores, a quibus irae affectus iisdem verbis definiuntur, quos adscribi ne pigeat. En habes Andronicum, cuius libellus *περὶ παθῶν* inscriptus etiam nunc restat, et Stobaeum in eclogis ethicis Stoicorum placitorum commentatorem. Quorum uterque mirum in modum cum altero ita consentit, ut alter alterum compilasse conicias. Sed ne Stobaeum illius libello pro fonte

usum esse censeas, et inspicias Andronici compilationis exiguitatem et, quod iam supra diximus (p. 31), Stobaeum in placitis Stoicorum tradendis Didymum excerpsisse reputes extremumque definitionum principem Chrysippum fuisse. (cf. Diels: doxogr. p. 69 sq.) Andronicus igitur haec scribit: (p. 525 ed. Heinsius, Mullach. fragm. philos. graec. vol. III, p. 572) *θυμὸς δὲ ὀργὴ ἐναρχομένη* (cod. *ἀναρχομένη;* corr. Mullach. cf. Stob. ecl. II. 176), *χόλος δὲ ὀργὴ διοιδοῦσα, πικρία δὲ ὀργὴ εἰς παλαίωσιν ἀποτιθεμένη· κότος δὲ ὀργὴ καιρὸν ἐπιτηροῦσα.* Stob. eclog. eth. II, 174 p. 582 sq. ed. Gaisford. *῾Υπὸ μὲν οὖν τὴν ἐπιθυμίαν ὑπάγεται τὰ τοιαῦτα. ὀργὴ καὶ τὰ εἴδη αὐτῆς: θυμὸς καὶ χόλος καὶ μῆνις καὶ κότος καὶ πικρίαι καὶ τὰ τοιαῦτα.* — II, 176. *ὀργὴ μὲν οὖν ἐστιν ἐπιθυμία τιμωρήσασθαι τὸν δοκοῦντα ἠδικηκέναι παρὰ τὸ προσῆκον. θυμὸς δὲ ὀργὴ ἐναρχομένη· χόλος δὲ ὀργὴ διοιδοῦσα· μῆνις δὲ ὀργὴ εἰς παλαίωσιν ἀποτιθεμένη ἢ ἐναποκειμένη. κότος δὲ ὀργὴ ἐπιτηροῦσα καιρὸν εἰς τιμωρίαν. πικρία δὲ ὀργὴ παραχρῆμα ἐκρηγνυμένη.* cf. Diog. Laert. lib. VII, 113: *Ἐπιθυμία δέ ἐστιν ἄλογος ὄρεξις. ὑφ᾽ ἣν τάττεται καὶ ταῦτα· σπάνις, μῖσος, φιλονεικία, ὀργή, ἔρως, μῆνις, θυμός.* — (*ἔστι*) *φιλονεικία δὲ ἐπιθυμία τις περὶ αἱρέσεως* (aliter Cicero discordiam definivit)· *ὀργὴ δὲ ἐπιθυμία τιμωρίας τοῦ δοκοῦντος ἠδικηκέναι οὐ προσηκόντως.* — p. 114: *μῆνις δέ ἐστιν ὀργὴ πεπαλαιωμένη καὶ ἐπίκοτος, ἐπιτηρητικὴ δέ — ὁ δὲ θυμός ἐστιν ὀργὴ ἀρχομένη.*

Et cum sic Cicero Andronicus Stobaeus Diogenes diversas irae species eadem ratione Stoica iisdemque fere verbis subiungunt libidini, omnium idem fons principalis, Chrysippus, habendus est, definitionum sagacissimus auctor. (cf. supra p. 31.)

cc. deinde V—VIII disputandum sibi Seneca proponit, num ira secundum naturam sit, num utilis ullaque ex parte retinenda.

Ac primum quidem, utrum ira naturalis sit affectus hominum necne. Negat auctor noster tali fere facta conclusione: ‚ira poenae adpetens est (I, 6, 4. I, 5, 3 ‚avida poe-

nae'), natura hominis non est poenae adpetens (I, 6, 4), ergo ira non est secundum hominis naturam'. Affert deinde Platonem, iram naturalem non esse, hac ratione confirmantem: ,vir bonus non laedit. poena laedit. bono ergo poena non convenit. ob hoc nec ira, quia poena irae convenit. Si vir bonus poena non gaudet, gaudebit ne eo quidem adfectu, cui poena voluptati est: ergo non est naturalis ira'.

Quae cum sic Seneca disputat, recedit a veterum Stoicorum ratione, qui aliam ob causam iram naturalem non esse docebant. Cum enim finem esse dicerent ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν et natura (φύσει) homini unicuique rationem insitam esse, affectus, quia rationi inimici essent, etiam naturae adversantes habere eos necesse fuit.

c. VII Seneca quaerit, num ira proficiat ad res fortiter gerendas, ut in bello opus esse videatur. Atque impugnat acerrime Peripateticos (Theophrastum cf. p. 30), quos iram rebus bellicis utilem laudibus extulisse notum est. Qui, cum iratos persaepe in pericula deduci viderent homines rationem spernentes et nonnumquam quid opus esset ignaros, eo adducti sunt sententiae, ut modicum laudarent affectum', qui μετριοπάθεια vel μετριότης (cf. Taurum ap. Gell. I. 26. 10, qui mediocritatem irae utilem esse censuit, privationem (στέρησιν) non item) nominari solet, ab ipsis μεσότης dicebatur. Qua in re secuti sunt Platonem (Crantoremque), qui primus modicos affectus laudavit. cf. Brandis: hist. philos. II^b 1, 40. Zeller II, p. 742, 1, p. 698 sq. Cic. Acad. prior. II, 44, 135: mediocritates illi [scl. veteres Academici] probabant et in omni perturbatione naturalem volebant esse quemdam motum. Legimus omnes Crantoris veteris Academici de luctu. Est enim non magnus, verum aureolus et, ut Tuberoni Panaetius praecipit, ad verbum ediscendus libellus. Atque illi quidem etiam utiliter a natura dicebant permotiones istas animis nostris datas: metum cavendi causa, misericordiam aegritudinemque clementiae, ipsam iracundiam fortitudinis quasi cotem esse dicebant, recte secusne alias [i. e. Tusc.

dispp.] viderimus [l. videbimus]'. Quodque plus modico erat (ὑπερβολὴν) aut minus modico (ἔλλειψιν) pro vitio ducebant. Exempli gratia fortitudo medius affectus est inter metum et audaciam (ἀνδρεία μεσότης περὶ φόβους καὶ θάρρη), et is dicitur fortis, qui decore mori non timet (ὁ περὶ τὸν καλὸν θάνατον ἀδεής. Eth. Nicom. III, 9). Eum vero qui propter decorum vel mori paratus sit, hoc sibi eripi numquam passurum esse contendunt, sed ira quasi stimulo incensum pro patria et honore pericula subire ausurum. Laudant igitur modicam iram (θυμόν, ὀργήν neque vero ὀργιλότητα), et detracto eo quod superfluat nec utile sit, id retineri volunt, quod ad agendum et bellandum incitet.[1]) Stoici vero contra illam μετριοπάθειαν Academicorum Peripateticorumque contendebant sapienti ἀπάθειαν tantum expetendam, omnium affectuum exstirpationem, quam Stilpon primus docuisse videtur. cf. Sen. ep. 9.

De illa Peripateticorum doctrina Seneca initio capitis VII loquitur: ,numquid, quamvis non sit naturalis ira,

---

[1]) cf. Herod. Attic. ap. Gell. noctt. Att. XIX, 12, 2: Disseruit autem [Herodes] contra ἀπάθειαν Stoicorum, lacessitus a quodam Stoico, tamquam minus sapienter et parum viriliter dolorem ferret ex morte pueri, quem amaverit. In ea dissertione, quantulum memini, huiuscemodi sensus est: quod nullus usquam homo, qui secundum naturam sentiret et saperet, adfectionibus istis animi, quas ,πάθη' appellabat, aegritudinis, cupiditatis, timoris, irae, voluptatis carere et vacare totis posset (rhetor non dolere), atque, si posset etiam obniti, ut totis careret, non ex re[fore] id melius, quoniam langueret animus et torperet, adfectionum quarundam adminiculis, ut necessario plurimum † peri et privatus. Dicebat enim sensus istos motusque animi, qui cum inmoderatiores sunt, vitia fiunt, innexos implicatosque esse vigoribus quibusdam mentium et alacritatibus, ac propterea, si omnino omnis eos inperitius convellamus, periculum esse, ne iis adhaerentes bonas quoque et inutiles animi indoles amittamus. Moderandos esse igitur et scite considerateque purgandos censebat, ut ea tantum, quae aliena sunt contraque naturam videntur et cum pernicie adgnata sunt, detrahantur. Diog. L. V, 31 ἔφη δὲ [Ἀριστοτέλης] τὸν σοφὸν μὴ εἶναι μὲν ἀπαθῆ, μετριοπαθῆ δέ v. Bernays „Aristoteles über Wirkung der Tragoedie" p. 201.

adsumenda est, quia utilis saepe fuit?' „extollit animos et incitat, nec quicquam sine illa magnificum in bello fortitudo gerit, nisi hinc flamma subdita est et hic stimulus peragitavit misitque in pericula audaces." ‚Optimum itaque quidam (scil. Theophrastus cf. p. 30. Lactant. de ira dei c. 17.) putant temperare iram, non tollere, eoque detracto quod exundat, ad salutarem modum cogere, id vero retinere, sine quo languebit actio et vis ac vigor animi resolvetur'.

Verba inde a ‚extollit animos' usque ad ‚audaces' ex adversario suo hausisse Senecam mihi persuasi, quia ipse numquam utilem esse iram autumat. (cf. I, 9, 1. 11, 8), tantamque habet similitudinem cum fragmento illo Aristotelico, quod I, 9, 2 asservavit, ut omnis dubitatio absit.

Neque solum hoc uno loco Seneca illam Peripateticorum de modici affectus ad bella gerenda utilitate opinionem commemorat, sed hic illic in libris quos de ira composuit et in epistulis moralibus. cf. I, 9, 2. I, 11, 1. 17, 1. III, 3, 1. ep. 85, 9. 116, 1.)

Illa autem adversarii verba ex Theophrasti *περὶ παθῶν* libro sumpta esse coniecerim. Sunt enim loci aliquot in scriptis Aristotelicis nobis servatis, quibus idem fere continetur et Peripateticorum de utilitate irae maxime ad gerenda bella adhibendae disciplina cognoscitur. Quae ut conferas, subscribam: (Eth. Nicom. IV, 11 p. 1126[b] 4) *ἀλλὰ τό γε τοσοῦτον δῆλον, ὅτι ἡ μὲν μέση ἕξις ἐπαινετή, καθ' ἣν οἷς δεῖ ὀργιζόμεθα καὶ ἐφ' οἷς δεῖ καὶ ὡς δεῖ καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα, αἱ δ' ὑπερβολαὶ καὶ ἐλλείψεις ψεκταί, καὶ ἐπὶ μακρὸν μὲν γινόμενα ἠρέμα, ἐπὶ πλέον δὲ μᾶλλον ἐπὶ πολὺ δὲ σφόδρα. Δῆλον οὖν ὅτι τῆς μέσης ἕξεως ἀνθεκτέον.* — ib. II, 7 p. 1108[a] 4: *ἔστι δὲ καὶ περὶ ὀργὴν ὑπερβολὴ καὶ ἔλλειψις καὶ μεσότης, σχεδὸν δὲ ἀνωνύμων ὄντων αὐτῶν, τὸν μέσον πρᾶον λέγοντες, τὴν μεσότητα πραότητα καλέσομεν. τῶν δ' ἄκρων ὁ μὲν ὑπερβάλλων ὀργίλος ἔστω, ἡ δὲ κακία ὀργιλότης, ὁ δ' ἐλλείπων ἀόργητός τις, ἡ δ' ἔλλειψις ἀοργησία.* Melius hoc testatur locus ex eodem libro (Eth. Nicom. III, 8 p. 1116[b] 23) petitus, qui hunc in mo-

dum legitur: καὶ τὸν θυμὸν δ' ἐπὶ τὴν ἀνδρείαν ἐπι φέρουσιν· ἀνδρεῖοι γὰρ εἶναι δοκοῦσι καὶ οἱ διὰ θυμὸν ὥσπερ τὰ θηρία ἐπὶ τοὺς τρώσαντας φερόμενοι, ὅτι καὶ οἱ ἀνδρεῖοι θυμοειδεῖς. ἰτητικώτατον γὰρ ὁ θυμὸς πρὸς τοὺς κινδύνους. cf. Eudem. Moral. III, 1. p. 1229ª 25: ἐκστατικὸν ὁ θυμός. (Senec. II, 7. 1: extollit animos) — ὅμως δὲ μάλιστα φυσικὴ ἡ τοῦ θυμοῦ (scil. ἀνδρεία). ἀήττητον γὰρ ὁ θυμός.

Nec non Cicero hanc Peripateticorum sententiam confirmat, qui Tusc. dispp. IV. 43 haec de eis scribit: ‚Primum multis verbis iracundiam laudant, cotem fortitudinis esse dicunt'. cf. § 48: ‚illa quidem ex rhetorum pompa: ardores animorum cotesque virtutum' cf. locum insignem ex eiusd. Acad. prior. II. 44. 135 petitum, quem supra p. 37 attulimus.

Sed redeamus ad Senecam et videamus, quomodo Peripateticorum doctrinam refellat. Qua in refutatione tanta eius est cum Cicerone similitudo, ut facere non possimus, quin ex eodem utrumque fonte hausisse credamus. Nec diu haerebimus quis sit eorum auctor, si Galenum revolverimus, qui saepius eadem imagine atque illos usum esse tradit Chrysippum. Nam apud utrumque irati vel affectibus perturbati conferuntur cum eis, qui per declivia decurrunt. Atque ut illam inter hos tres laudatam similitudinem perspicias, locos ipsos postea oculis subiciam.

Nunc vero accuratius Senecae refutationem persequamur.

Plato cum tres animi facultates (δυνάμεις) esse docuisset: rationalem (λογιστικήν), quae esset in capite, irascibilem (θυμοειδῆ), quae sedem in pectore haberet, concupiscibilem (ἐπιθυμητικήν), quam locabat in ventre, his facultatibus semotas sedes assignavit (cf. Plat. reip. IV, p. 441 b, Tim. 77 b, Galen. l. l. p. 294, Chrysipp. περὶ ψυχῆς apud Galen. V, p. 288). Hanc Platonis doctrinam Aristoteles modo adoptavit (ut topic. II, 7 p. 113a 35. IV, 5 p. 126a 8. V, 1 p. 129a 10. cf. Zelleri philos. Gr.

II² p. 586 ed. III. Galen. V, p. 454), modo refutavit (ut de anim. III, 9 p. 432a 18). Zenon et Chrysippus vero rationem cupiditatem iram in corde oriri docebant, quod Galenus libri 1. p. 294 his verbis testatur: *εὐθὺς γοῦν ἐν τοῖς ἐφεξῆς οὕτω γράφει* (scl. *ὁ Χρύσιππος*)· *τῆς μὲν ὀργῆς γιγνομένης ἐνταῦθα, εὔλογον καὶ τὰς λοιπὰς ἐπιθυμίας ἐνταῦθ' εἶναι, καὶ νὴ Δία τὰ λοιπὰ πάθη, καὶ τοὺς λογισμούς, καὶ ὅσον τούτοις ἐστὶ παραπλήσιον. οὐδὲν γὰρ ἀναγκαῖον, ἔνθα τὰ πάθη, καὶ τοὺς διαλογισμοὺς ἐνταῦθ' ὑπάρχειν, ὡς, εἴ γε τοῦτ' ἐκ προχείρου τις ἀξιώσειε λαμβάνειν, αὐτὸ τὸ ζητούμενον λήψεται. Πλάτωνος μὲν γὰρ λέγοντος οὐκ ἐκ ταὐτοῦ μέρους ὁρμᾶσθαι λογισμόν τε καὶ θυμὸν καὶ ἐπιθυμίαν, Ζήνωνος δὲ ἐν καρδίᾳ καθιδρύοντος ἅπαντα, προςῆκον ἦν, οἶμαι, καὶ Χρυσίππῳ καὶ παντὶ τῷ μετὰ Πλάτωνα καὶ Ζήνωνα κρίνοντι τὰ δόγματα τῶν ἀνδρῶν προσθεῖναι θατέρῳ μὲν αὐτῶν ἀπόδειξιν, θατέρῳ δ' ἔλεγχόν τινα.*

Stoici igitur rationem et iram et cupiditatem in corde collocabant (cf. Sen. I, 8, 3) et rationem his imperare easque coercere volebant, ita ut *ἡγεμονικὸν* esset. Quamdiu ratio superior esset, tamdiu iram et cupiditatem regi neque excurrere. (cf. Senec. I, 7, 2 sq. 8, 1 sq.) Quodsi vero illae ratione maiores fierent, hanc expelli. Quam ob rem ubi esset ratio, ibi non esse affectus, ubi affectus, ibi rationem non esse dicebant (Ut saepissime ita hac quoque in re Panaetius cum Platone iudicabat, affectus alias atque rationem sedes habere. cf. Tusc. disp. I, 80: ‚quas (scil. partes, in quibus aegritudines irae libidinesque servantur) is (scil. Panaetius), contra quem haec dicuntur, semotas a mente et disclusas putat'. cf. Sen. I, 8, 3). Itaque nunquam affectus esse inducendos, sed ratione eorum primos impetus reprimendos (cf. Sen. I, 3, 1. 2. I, 10, 1). Nam modicos affectus nihil aliud esse, quam mala modica et tam malos ministros quam duces (cf. Sen. I. 10, 4. I, 9, 4. Cic. Tusc. disp. III, 22: ‚Peripatetici .... mediocritates vel perturbationum vel morborum animi mihi non sane probant. omne enim malum etiam me-

diocre malum est'.). Quae tam multis verbis de hac re Seneca disputavit inde a c. VII usque ad c. XII ad verba exscribere nolui, quia vereor ne supervacaneum sit. Satis habeo Ciceronis verba, quae cum Seneca consentire iam dixi, apponere. Qua de re Senecae praeterea quarundam epistolarum loci sunt respiciendi, quibus eandem illam Peripateticorum μετριοπάθειαν refellere studet. cf. epp. 85, 3. 8. 9. 10 sq., 116.

Cicero in Tusc. disp. libro IV, postquam inde a c. VI, § 11 usque ad c. XVII, §. 38 de Stoicorum affectibus verba fecit, auctorem suum secutus hoc de Peripateticis suscipit ferre iudicium (§. 38 sub finem et sq.): ‚Quocirca mollis et enervata putanda est Peripateticorum ratio et oratio, qui perturbari animos necesse dicunt esse, sed adhibent modum quendam, quem ultra progredi non oportere. 39. (cf. Sen. I, 10, 4: ‚ita, inquit, utilis adfectus est, si modicus est'.) Modum tu adhibes vitio? an vitium nullum est non parere rationi? — 40. etenim quis erit tandem iste modus? 43. quid, quod iidem Peripatetici perturbationes istas, quas nos exstirpandas putamus, non modo naturales esse dicunt sed etiam utiliter a natura datas, quorum talis est oratio: Primum multis verbis iracundiam laudant ‚cotem fortitudinis esse dicunt' (cf. Sen. III, 3. 1, ‚atqui stat Aristoteles defensor irae et vetat illam nobis exsecari: calcar ait esse virtutis'.). Alia quae apud Ciceronem cum non nullis locis Senecae paulo post tractandis conveniunt quaeque ex communi fonte fluxerunt, suo loco interponam. Nunc illud grave momentum tractabo, quo uterque et Seneca et Cicero hominem affectibus perculsum cum eis comparat, qui declivi via currant nec cum velint sustinere se possint. Qua imagine etsi Cicero paullo fortius usus est, quum de suo exemplum eius qui de Leucata se praecipitet adicit, tamen fontem ipsum dissimulare non potuit. Quis fuerit fons, Galeni verbis dilucide cognoscitur, quae una cum illis nunc exscribam:

Seneca de ira I, 7, 2.

‚Primum facilius est excludere perniciosa quam regere, et non admittere quam admissa moderari. nam cum se in possessione posuerunt, potentiora rectore sunt nec recidi se minuive patiuntur. Deinde ratio ipsa, cui freni traduntur tamdiu potens est, quamdiu diducta est ab adfectibus. si miscuit se illis et inquinavit, non potest continere, quos submovere potuisset. commota enim semel et excussa mens ei servit, quo inpellitur. Quarundam rerum initia in nostra potestate sunt, ulteriora nos vi sua rapiunt nec regressum relinquunt. Ut in praeceps datis corporibus nullum sui

Cicero. Tusc. disp. IV, 41 sq.

‚Qui modum igitur vitio quaerit similiter facit, ut si posse putet eum, qui se e Leucata praecipitaverit, sustinere se, cum velit. Ut enim id non potest, sic animus perturbatus et incitatus nec cohibere se potest, nec quo loco vult insistere. Omninoque, quae crescentia perniciosa sunt, eadem sunt vitiosa nascentia. 42. Aegritudo autem ceteraeque perturbationes amplificatae certe pestiferae sunt. Igitur etiam susceptae continuo in magna pestis parte versantur. Etenim ipsae se impellunt, ubi semel a ratione discessum est, ipsaque sibi imbecillitas indulget in altumque provehitur imprudens

Galen. V. p. 388.

‚ὅθεν καὶ δεόντως ὁ Χρύσιππος ἔγραψεν· οἱ δὲ κατὰ λόγον κινούμενοι ὡς ἂν ἡγεμόνα καὶ τούτῳ οἰακίζοντες τὰς κατὰ μέρος δηλονότι κινήσεις τῆς ψυχῆς κρατοῦσι τῶν κατ᾽ αὐτὰς ὁρμῶν ἀνάλογον τοῖς περιπατοῦσιν, ἀλλ᾽ οὐχ ὑπ᾽ αὐτῶν ἐκφέρονται βιαίως, ὥσπερ οἱ κατὰ πρανοῦς θέοντες.

p. 387. (Χρύσιππος εἶπεν) οἷαι καὶ ἀκρατεῖς αἱ τοιαῦται καταστάσεις εἰσίν, ὡς ἂν οὐ κρατούντων ἑαυτῶν, ἀλλ᾽ ἐκφερομένων, καθάπερ οἱ τῷ τόνῳ τρέχοντες προσεκφέρονται, οὐ κρατοῦντες τῆς τοιαύτης κινήσεως, οἱ δὲ κατὰ τὸν λόγον κινούμενοι ὡς ἂν ἡγεμόνα καὶ τούτῳ οἰακίζοντες, κἂν ὁποιοσοῦν ᾖ, κρατοῦσιν ἤτοι ἀπαθεῖς εἰσι τῆς τοι-

arbitrium est, nec resistere morarive deiecta potuerunt, sed consilium omne et poenitentiam inrevocabilis praecipitatio abscidit et non licet eo non pervenire, quo non ire licuisset: ita animus, si in iram, amorem aliosque se proiecit adfectus, non permittitur reprimere inpetum. rapiat illum oportet et ad imum agat pondus suum et vitiorum natura proclivis'.

nec reperit locum consistendi. Quam ob rem nihil interest utrum moderatas perturbationes approbent an moderatam iniustitiam, moderatam ignaviam, moderatam intemperantiam. Qui enim vitiis modum apponit, is partem suscipit vitiorum. Quod cum ipsum per se odiosum est, tum eo molestius, quia [l. quia quae] sunt in lubrico incitataque semel proclivi labuntur sustinerique nullo modo possunt'.

αὐτῆς κινήσεως καὶ τῶν κατ᾽ αὐτὴν ὁρμῶν.

p. 368. (Chrysippi verba) δεῖ δὲ πρῶτον ἐντεθυμῆσθαι, ὅτι τὸ λογικὸν ζῶον ἀκολουθητικὸν φύσει ἐστὶ τῷ λόγῳ καὶ κατὰ τὸν λόγον, ὡς ἂν ἡγεμόνα πρακτικόν. πολλάκις μέντοι καὶ ἄλλως φέρεται ἐπί τινα, καὶ ἀπό τινων ἀπειθῶς τῷ λόγῳ ὠθούμενον ἐπὶ πλεῖον, καθ᾽ ἣν φορὰν ἀμφότεροι ἔχουσιν οἱ ὅροι τῆς παρὰ φύσιν κινήσεως ἀλόγως οὕτως γινομένης, καὶ τοῦ ἐν ταῖς ὁρμαῖς πλεονασμοῦ. τὸ γὰρ ἄλογον τουτὶ ληπτέον ἀπειθὲς λόγῳ καὶ ἀπεστραμμένον τὸν λόγον, καθ᾽ ἣν φορὰν καὶ ἐν τῷ ἔθει τινάς φαμεν ὠθεῖσθαι καὶ ἀλόγως φέρεσθαι ἄνευ λόγου κρίσεως, οὐχὶ εἰ διημαρτημένως φέρεται, καὶ παριδών τι κατὰ τὸν

λόγον, ταῦτ' ἐπισημαινόμεθα, ἀλλὰ μάλιστα καθ' ἣν ὑπογράφει φορὰν οὐ πεφυκότος τοῦ λογικοῦ ζώου κινεῖσθαι, οὕτως κατὰ τὴν ψυχήν, ἀλλὰ κατὰ τὸν λόγον. cf. p. 373 sq.

Cum igitur, ubi affectus sint, ratio esse non possit, optimum esse Annaeus putat primo irae irritamento atque initio obsistere (cf. II, 7, 2. 8, 1. ep. 85, 9. 10; 116, 3), quia prius affectus se sedari non sinerent, quam quod peterent exsecuti essent aut aliis affectibus repercussi, ut ira metu, inertia ira, timor cupiditate (Sen. I, 10, 1. 8. 7).

Neque vero omittenda esse puto, quae apud Philodemum de Peripateticorum Epicureorumque affectuum utilitate disputantur. Nam notum est, Epicurum contra Stoicorum *ἀπάθειαν* affectus laudasse (cf. Brandis.: philosoph. histor. III^2, p. 46) eisque voluisse actiones institui. (cf. Diog. Laert. X, 34. *πάθη δὲ λέγουσιν εἶναι δύο, ἡδονὴν καὶ ἀλγηδόνα, ἱστάμενα περὶ τῶν ζώων, καὶ τὴν μὲν οἰκεῖον, τὴν δὲ ἀλλότριον, δι' ὧν κρίνεσθαι τὰς αἱρέσεις καὶ φυγάς.*) Atque et ipsum illum et Metrodorum modicam retinuisse iram Philodemus testatur p. 149, 5, cum dicit: *καὶ γὰρ ὁ Ἐπίκουρος ἐν ταῖς Ἀναφωνήσεσιν διασαφεῖ τό(τε) θυμωθήσεσθαι καὶ μετρίως. καὶ ὁ Μητρόδωρος εἰ κυρίως λέγει τοῦ..... σοφοῦ θυμὸς (συνεμφαίνεται) λίαν βραχέως.* Philodemus autem magis recessisse ab ipsius scholae placitis videtur (quantum quidem ex ruinis libri *περὶ ὀργῆς* intellegi licet), et impugnat Aristotelem, cum negat ipse iram neque ad fortitudinem neque ad castigationem necesse esse. Nam hunc sensum verba ducunt, quae sic p. 107, 24 sq. leguntur: *ἔνιοι γοῦν τῶν Περιπατητικῶν, ὥς που καὶ πρότερον παρεμνήσθημεν, διὰ προσώπων ἐκτέμνειν τὰ νεῦρα τῆς ψυχῆς φασι τοὺς τὴν ὀργὴν καὶ τὸν θυμὸν αὐτῆς ἐξαιροῦν-*

τας, ὧν χωρὶς οὔτε κόλασιν οὔτε ἄμυναν εἶναι, et p. 108, 15 sq. exhibentur: (*ἔν τε τοῖς*) *πολέμοις καὶ τοῖς ἀναλόγοις καιροῖς* [scl.: *ἔνιοι τῶν Περιπατητικῶν φασιν.* cf. p. 107, 24] *οὐκ εἶναι προσφέρεσθαι χωρὶς ὀργῆς, ἣ θαρρεῖν ποιεῖ καὶ πάντα ὄκνον ἀφαιρεῖται καὶ δειλίαν, καὶ ἀνικήτως ποιεῖ μέχρι καὶ θανάτου μένειν.* — 35. sq.: *καὶ γὰρ οὐχ ὅτι χωρὶς ὀργῆς ἔστι πολεμίζειν καὶ ἀγωνίζεσθαι.* cf. supra p. 39.

Stoicorum rigida secta eis optime cognoscitur, quae Seneca deinde c. XII Peripateticis, ut videtur (cf. p. 30) opponit. Virum bonum ne tum quidem iraturum esse, si patrem caedi, rapi matrem vidisset, sed vindicaturum tantum et tutaturum, nam irasci pro suis non esse pii animi, sed infirmi[1] (§ 5). Contra, illud esse pulchrum dignumque pro parentibus, liberis, amicis, civibus prodire defensorem ipso officio ducente, volentem, iudicantem, providentem, non ira impulsum rabidumve. (§ 5.) — Ultima verba comparanda videntur cum Ciceronis, quibus de Peripateticorum affectuum doctrina agitur. Quae etiamsi partim iam attigimus (p. 42), tamen ne pigeat iterum repetere et ea addere, quae similitudinem habent cum Senecae sententiis. Cicero igitur hoc modo Tusc. disp. IV, 43 disputat: ‚primum multis verbis iracundiam [Peripatetici] laudant, cotem fortitudinis esse dicunt, multoque et in hostem et in improbum civem vehementiores iratorum impetus esse, leves autem ratiunculas eorum qui ita cogitarent: proelium rectum est hoc feri, convenit dimicare pro legibus, pro libertate, pro patria'.

Capite XIII Annaeus denuo illam Peripateticorum opi-

---

[1]) Initium § 3 ‚cum hoc dicis, Theophraste', nescio quomodo quis interpretetur. Nam quo referatur pronomen ‚hoc' non video. Videtur igitur aliquid excidisse, scilicet dictum Theophrasti. Ac mihi quidem persuasi, post ‚dolet' (§ 2) inserenda esse verba, ‚irascuntur boni viri pro suorum iniuriis', quae init. § 4 iterantur. Haec verba periisse confirmatur illis, quae § 3 leguntur: ‚quia unusquisque in eiusmodi suorum casu irascitur' et sq. Bis igitur per anaphoram positum fuit idem dictum, ut saepius apud Senecam inveniemus. (cf. I, 20, 4 ‚oderint'. I, 3, 4. 6, ‚sed quidam' sq. — ‚at irati quidam' sq.) cf. Haase vol. III, p. XXIII.

nionem impugnat qui contenderint, iram esse utilem, quia pugnaciores reddat (§ 3), et dicit neminem irascendo fieri fortiorem, nisi qui fortis sine ira fuerit (§ 5); capitibus XIV, XV, XVI id iudicat, non esse irascendum peccantium erroribus, sed veniam dandam, si quis cogitaverit, quam saepe ipse contra alios peccaverit, neque quemquam inveniri, qui se possit absolvere (XIV, 2, 3 cf. Plut. VII, p. 817 *οὐ πολλῇ χρήσεται μισοπονηρίᾳ πρὸς ἑτέρους, πολλῆς ὁρῶν ἑαυτὸν συγγνώμης δεόμενον*). Corrigendum, qui peccaverit, non sine castigatione, sed sine ira (XV, 1). Nec quidquam minus quam irasci punientem decere (XV, 3) et eo magis poenam proficere ad emendandum, si iudicio lata sit. Nam cum ira delictum animi sit, non oportere peccata peccantem corrigere (XVI, 1). Cum his postremis verbis conferas velim, quae apud Plutarchum (VII, p. 817) legimus: *καὶ (ὃ δὴ πάντων αἴσχιστόν ἐστιν) ὀργιζομένοις ἐπιτιμῶμεν μετ᾽ ὀργῆς καὶ τὰ διὰ θυμὸν ἡμαρτημένα θυμῷ κολάζομεν, οὐχ ὥσπερ οἱ ἰατροὶ*

‚πικρῷ πικρὸν κλύζουσι φαρμάκῳ χολήν',

ἀλλὰ μᾶλλον ἐπιτείνοντες καὶ προσεκταράττοντες. Vides igitur, quam utrique inter se consentiant.

Ne quis iratus puniat, Seneca Socratis exemplum affert, qui, cum ob servum peccantem ira efflatus esset, hunc non ipse punivit dicens: ‚caederem te, nisi irascerer' (I, 15, 3). Eandem historiolam et Platoni et Archytae et Plutarcho attributam videmus. Platoni enim et ipse Seneca et Diogenes et Plutarchus et Stobaeus vindicant, Archytae Cicero Jamblichus Lactantius [1]), Plutarcho Taurus ap. Gell. I, 20, 5 sqq. Quod saepe fit, hac in re quoque accidisse videmus, ut idem insigne factum aut salse

[1]) cf. Sen. III, 12. 5, Diog. L. III, 26, Plutarch. vol. VI. p. 34 Reiske, Stob. flor. XX. 43 (= Plutarch. vol. II. p. 551), XX. 57. Speusippum maxime ad iram inclinasse constat cf. Diog. L. IV. 1. 1. *καὶ γὰρ ὀργίλος καὶ ἡδονῶν ἥττων ἦν. — φασὶ δὲ αὐτὸν ὑπὸ θυμοῦ κυνίδιον εἰς τὸ φρέαρ ῥίψαι.* Suid. s. v. Buechel. in ind. lect. Gryphisw. 1869 p. 5, Mullach. fragm. philos. gr. vol. III. p. 73. not. 143. — Cic. Tusc. IV. 78. Jamblich. de vit. Pythag. c. 31 ed. Kiessling, Lactant. de ira dei c. 18.

dictum pluribus hominibus, qui sapientiae magna gloria antiquis temporibus floruerunt, tribuatur et difficile sit primum auctorem indagare.

Quodsi Seneca sub finem c. XVI dicit, sapientem affectibus illis quidem carere, sentire tamen suspiciones quasdam et umbras affectuum et affert Zenonis dictum: ,in sapientis quoque animo, etiam cum volnus sanatum est, cicatrix manet', haec ex Stoico suo fonte fluxisse, primo obtutu conicere debemus. Simile quid vide apud Ciceronem (Tusc. disp. III, 83): ‚Hoc detracto, quod totum est voluntarium, aegritudo erit sublata illa maerens, morsus tamen et contractiunculae quaedam animi relinquuntur.' cf. Galen. V. p. 419.

Pergit Annaeus (c. XVII) Aristotelem impugnare, quem dixisse fert: ,adfectus quosdam, si quis illis bene utatur, pro armis esse [1].' Quod falsum esse censet: nam cum illi se in potestate posuerint, non ut arma bellica se deponi sinere, sed ipsos per se pugnare. Ceterum nihil aliis instrumentis opus esse satis hominibus instructis ratione non tantum ad providendum, sed etiam ad res gerendas (§ 2). Nam si quid iudicaverit faciendum, in eo perseverare rationem et stare semel constitutis: iram saepe repelli misericordia, cum non habeat solidum robur, sed vanum tumorem et, cum inceperit magno impetu, deficere ante tempus fatigatam. Perbene hoc quoque Plutarchus in libro suo *περὶ ὀργῆς* expressit, cum haec eum scripsisse Stobaeus auctor est (flor. XX, 70): *λόγον οὖν ἡγεμόνα χρὴ ποιησάμενον οὕτως ἐπιχειρεῖν τοῖς κατὰ τὸν βίον ἔργοις, τὰς ἑκάστοτε προσπιπτούσας ὀργὰς διορθούμενον καὶ διανεύοντα, ὥσπερ οἱ κυβερνῆται τὰ κύματα τὰ προσφερόμενα. — οὐ μὴν ἀλλ' ἐπιμελείας εἰς αὐτὰ δεῖ καὶ μελέτης, ᾗ καὶ μάλιστα ἁλίσκονται κατ' ἄκρας οἱ παραδεξάμενοι τὸν θυμὸν ὡς σύμμαχον ἀρετῆς, ἀπολαύοντες ὅσον αὐτοῦ χρήσιμόν ἐστιν*

---

[1]) cf. Arist. Polit. c. 2. 1253[a] 35: *χαλεπωτάτη γὰρ ἀδικία ἔχουσα ὅπλα· ὁ δ' ἄνθρωπος ὅπλα ἔχων φύεται φρονήσει καὶ ἀρετῇ, οἷς ἐπὶ τἀναντία ἔστι χρῆσθαι μάλιστα* cf. Bernays „Aristoteles über Wirkung der Tragödie“ p. 200 sq.

ἔν τε πολέμῳ καὶ νὴ Δία ἐν πολιτείαις, τὸ πολὺ δὲ αὐτοῦ καὶ τὸ ἐπιπόλαιον ἐκκρίνειν καὶ ἐκβάλλειν τῆς ψυχῆς, ὅπερ ὀργή τε καὶ πικρία δι' ὀξυθυμίαν λέγεται, νομίσματα ἥκιστα ταῖς ἀνδρείαις ψυχαῖς πρέποντα.

Sub finem c. XVII et initio c. XVIII haec deinde disputantur a Seneca. Iram sibi indulgere et ex libidine iudicare, neque velle audire et detegere veritatem, sed festinare, nec tum errorem mittere, cum veritas oculis ingeratur. Rationem vero tempus dare et advocationem sibi petere, ut veritati excutiendae locus sit, et id iudicare velle, quod sit aequum. Idem Philodemum, quantum ex fragmentis cognosci licet, censuisse pauca minus dilacerata et mutila verba (p. 96, 15 sq.) testantur: *καὶ ἀδικεῖν, ἐπειδήπερ οὔτε δικαστὴς . . . . . δύναται δίκαιος εἶναι πάθεσιν ὀργίλοις συνεχόμενος:* et (p. 114, 30 sq.): *ὀργίλοι φαίνονται καὶ εἰς τὸ ταῖς ἀληθείαις ὀργίλους εἶναι.* (cf. Sen. I, 19, 1 ‚irascitur veritati ipsi, si contra voluntatem suam apparuit'. I, 18, 2 ‚saepe infesta patrono'. sq.)

Verba deinde (I, 19, 1): ‚cum clamore et tumultu et totius corporis iactatione, quos destinavit, insequitur, adiectis conviciis maledictisque', comparari possunt cum Philodemeis: (p. 65, 11) *μετὰ φωνῆς λοιδορούμενον πρὸς τοὺς ἀπόντας ὡς πρὸς παρόντας.*

Quodsi porro (I, 19, 2) Seneca dicit, rationem, si opus sit, silentem quietamque totas domus funditus evertere, familias rei publicae periculosas cum coniugibus liberisque perdere, et hoc facere neque frendentem neque quassantem caput et Hieronymi verba affert (de quibus supra iam monui p. 8): ‚quid opus est, cum velis caedere aliquem, tua prius labra mordere?', liceat Plutarchi quendam locum conferre, qui legitur VII p. 797: *οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ πρὸς ἄμυναν ἅμα σκοπῶν τρόπον ἄπρακτον εὑρίσκω τὰ πολλά, δήγμασι χειλῶν καὶ πρίσεσιν ὀδόντων καὶ κεναῖς ἐπιδρομαῖς καὶ βλασφημίαις ἀπειλὰς ἀνοήτους ἐχούσαις* (cf. Sen. I, 19, 1) *καταναλισκόμενον, εἶτα ὥσπερ ἐν τοῖς δρόμοις τὰ παιδία, τῷ μὴ κρατεῖν ἑαυτῶν, προκαταπίπτονται τοῦ τέλους, ἐφ' ᾧ σπεύδει γελοίως.*

c. XX pauci sunt loci qui collatione aliorum auctorum illustrari possunt et fontem communem conicere permittunt. Ut enim Seneca (I, 20, 3) animum saepe indolescentem et irascentem cum corporibus exulceratis et aegris, quae ad levissimos tactus dolent, componit (cf. III, 10, 1: nunquam sine querela aegra tanguntur), ita Philodemus quoque eadem imagine utitur (p. 71, 17 sq.): *ὡς τὰ θηριώδη τῶν ἑλκῶν οὐδὲ τὰς τῶν ἠπιοτάτων φαρμάκων ὑπομένει προσαγωγάς*, itemque Plutarchus (VII, p. 782): *ἡ μὲν οὖν συνέχεια τῆς ὀργῆς καὶ τὸ προσκρούειν πολλάκις ἕξιν ἐμποιεῖ πονηρὰν τῇ ψυχῇ, ἣν ὀργιλότητα καλοῦσιν εἰς ἀκροχολίαν καὶ δυςκολίαν τελευτῶσαν, ὅταν ἑλκώδης καὶ μικρόλυπος ὁ θυμὸς γένηται καὶ φιλαίτιος ὑπὸ τῶν τυχόντων* (cf. Sen. I, 20, 2: ‚non ex firmo mansuroque oritur (ira), sed ventosa et inanis est.') *ὡς σίδηρος λεπτὸς καὶ ἀσθενὴς ἀναχαρασσόμενος* — aut si apud Senecam (I, 20, 5) legimus: ‚non est quod credamus irascentium verbis, quorum strepitus magni, minaces sunt, intra mens pavidissima', conferre liceat Plutarchi locum (VII, p. 791): *οὐκ εὐγενὴς οὐκ ἀνδρώδης, οὐδ' ἔχουσα φρόνημα καὶ μέγεθός ἐστιν* (scil. *ἡ ὀργή*), *ἀλλὰ δοκεῖ τοῖς πολλοῖς* (ut Academicis et Peripateticis) *τὸ ταρακτικὸν αὐτοῦ πρακτικόν, καὶ τὸ ἀπειλητικὸν εὐθαρσὲς εἶναι, καὶ τὸ ἀπειθὲς ἰσχυρόν* (cf. Plut. vol. II, p. 124: *ᾗ καὶ δοκεῖ δραστικὸς ὁ θυμούμενος*, VI, p. 207, Sen. III, 5, 7: ‚adice, quod cum indignatio eius nimio sui suspectu veniat et animosa videatur, pusilla est et angusta').

Tum (I, 20, 8) Caesaris exemplo allato, qui caelo obiratus, quod pantomimis obstreperet, versum Homericum exclamavit: (Il. Ψ, 724)

— *ἢ μ' ἀνάειρ' ἢ ἐγὼ σέ* —

magnificum dixisse eum negans solam virtutem sublimem et excelsam esse affirmat. Extat etiam Philodemi locus aliquis, quo eadem superbia vituperatur. Legimus enim apud eum (p. 54, 20 sq.) *προάγεται δὲ καὶ ἀσεβεῖν εἰς ἱερεῖς ὑβρίζοντας-καὶ τῶν θείων αὐτῶν ἀφειδοῦντας* [1]).

[1]) cf. Liban. IV, p. 988: *πολλοῖς δὲ καὶ νόσου δεινῆς ἀρχὴν ἤνεγκεν ὀργῆς ὑπερβολή. ὑπὸ μόνων δὲ τούτων ἐν ἴσῳ τοῖς ἀνθρώποις [τοῖς*

Lib. II.

Primo libro postquam Seneca disseruit quid sit ira, utrum sit utilis necne, quae sint eius causae, quanam in parte corporis exoriatur, num sapienti conveniat, qui quotque eius sint effectus, libro altero primum accuratius quaerit, utrum proficiscatur ira a nostra voluntate, an suapte sponte existat, tum repetit ea, quae multa iam de utilitate eius fallaci in primo libro disputaverat multaque addit, quibus Peripateticos (Theophrastum) refellere studet, tum de educatione pauca profert et quaestionem instituit de iratorum natura atque indole, quas diversas esse docet, prout elementorum mixtura ad maiorem minoremve affectum inclinet. Causas deinde pertractat, quae iram moveant et Peripateticos de integro impugnat (c. 32 et 33), qui irae voluptatem aliquam immistam esse praedicent et ultione peracta alios deterreri putent. Signa postremo (c. 35 sq.) iratorum iterum (cf. I, 1.) atris coloribus depinguntur.

Jam vero ad singula inspicienda accingamur. Ac primis quidem lib. II capitibus quaeritur, num ira voluntate et iudicio fiat. Qua de quaestione quamquam antea iam pauca sunt monita (p. 26 sq.), tamen hoc loco non alienum mihi esse videtur, accuratius inquirere. Iudicio atque voluntate affectus suscipi ex Stoicorum sententia supra iam vidimus (cf. p. 26 sq., Cic. Tusc. III, 66, IV, 14; 76 et saepius). Qua in re cum ceteri Stoici nobis desint, ad recentiores maximeque ad Senecam recurrendum est. Solis in animis affectus concipi, iam inest in definitione, quam attulimus, *πάθος εἶναι ἄλογον καὶ παρὰ φύσιν ψυχῆς κίνησιν* et confirmatur loco Stobensi (ecl. eth. II, p. 166), qui legitur: *εἶναι δὲ πάθη τῷ γένει τῆς ψυχῆς*, cum ictus corporis *πάθη* esse Stoici negent. Motus sane quosdam esse animi, qui concitentur, si quid improvisum atque necopinatum viderimus: quos, quia non voluntate nostra fiant,

---

ἀνθρωπίνοις vel *ἀνθρωπείοις* coni. Reiske] *ἀτιμάζεται τὰ θεῖα καὶ καταρῶνται μὲν γῇ, καταρῶνται δὲ καὶ οὐρανῷ· — καὶ οὐκ ἀξιοῦσι δεδοικέναι τοῦ Διὸς τὸ πῦρ.*

invictos et inevitabiles esse neque ideo affectus habendos (cf. Sen. II, 2, 6), sed principia proludentia affectibus. Iram non tantum moveri debere sed excurrere, cum sit impetus (Sen. II, 3, 4). Cum autem ira specie allatae iniuriae moveatur (Sen. II, 1, 3), tamen primum eius motum, qui sit agitatio animi, quam species iniuriae incusserit, nondum iram esse putandum; verum illum sequentem impetum, qui speciem iniuriae non tantum acceperit, sed approbaverit, iram esse ducendam i. e. concitationem animi ad ultionem voluntate ac iudicio pergentis (cf. Sen. II, 3, 5). — Quae cum sic Seneca disputat, hanc tripartitam affectus naturam sine dubio intellegi voluit: speciem (*φαντασίαν*), assensionem (*συγκατάθεσιν*), impetum modum ratione praescriptum praetergredientem (*ὁρμὴν πλεονάζουσαν*, cf. Heinze l. l. p. 11 sq. Zeller: III. 1, p. 38. Sext. Empir. adv. mathem. p. 417 sq.). Ipse Seneca hanc divisionem luculentis verbis profert c. IV: ‚Et ut scias quemadmodum incipiant adfectus aut crescant aut efferantur, est primus motus non voluntarius, quasi praeparatio adfectus et quaedam comminatio [1]). alter cum voluntate non contumaci, tamquam oporteat me vindicari cum laesus sim, aut oporteat hunc poenas dare, cum scelus fecerit. tertius motus est iam inpotens, qui non, si oportet, ulcisci vult, sed utique, qui rationem evicit.' Quae expositio tota clara est et optime omnia sese excipiunt. Sed tamen est, quod me offendat. Nam postquam c. IV, §. 1 tria illa affectus momenta philosophus enumeravit, pergit deinde §. 2 uniuscuiusque naturam atque vim accuratius exponere. Primum illum quidem motum evitari non posse ratione, cum fiat invitis nobis, alterum, cum iudicio nascatur iudicio tolli posse. De tertio vero motu nihil comperimus. Atqui oportuit de hoc quoque nos institui, quem ad modum factum vidimus lib. I, 7. 8 sq. Quod si respicio, id reliquum esse videtur, ut lacunam statuamus inter c. IV et V, qua exciderunt verba, quibus de altero illo motu

[1]) cf. Sen. ibid. §. 2, Calv. Taurum ap. Gell. noctt. att. XII. 5. 11, qui de Stoicorum *ἀπαθεία* libellum composuisse videtur, ibid. §. 5.

etiam quaedam addebantur et tertius accuratius describebatur. Huc accedit, quod caput V. quo agitur de tyrannorum saevitia et crudelitate ex ira freqenti et multa exercitatione profecta, omnino non cohaeret cum eis, quae c. IV praecedunt.

Quae c. V disputantur, cum non, unde habeat Seneca, invenerim, enarrare supersedeo et statim ad id inquirendum accedamus, num ira sapienti conveniat (c. VI sq.). Non esse verum, quod quidam (i. e. Theophrastus) dixerit: ‚virtutem, ut honestis rebus propitia sit, ita turpibus iratam esse debere'. nam nunquam virtutem id commissuram esse, ut vitia, dum coerceat, imitetur (§. 2). Gaudere laetarique naturae virtutis proprium esse: irasci non esse ex dignitate eius, non magis quam maerere. ‚Atqui iracundiae tristitia comes est, et in hanc omnis ira vel post poenitentiam vel post repulsam revolvitur'. Cum hoc dicit Seneca, socium habet Aristotelem, qui rhet. II, 3. p. 1380b 1 prodit: *ἡ δ' ὀργὴ μετὰ λύπης* et rhet. II, 4. p. 1382a 13: *ὁ μὲν γὰρ ὀργιζόμενος λυπεῖται.* Atque, si deinde pergit: ‚et si sapientis est peccatis irasci, magis irascetur maioribus et saepe irascetur: sequitur, ut non tantum iratus sit sapiens, sed iracundus' — liceat conferre Philodemum, qui e contrario sapientem iraturum esse secundum Epicurum contendit, cum ei iniuria sit allata, sed tantum modo, quantum animi tranquillitatem (*ἀταραξίαν*) non perturbet (cf. p. 132 sqq.). Hic deinde seiungit *θυμὸν* et *ὀργήν:* illum fortiorem esse, hanc leviorem affectum significans. Hac sapientem tangi et naturalem eam esse, illum non esse naturalem nec eo sapientem usurum (cf. p. 149). Totum igitur hunc Senecae de sapientis *ἀπαθείᾳ* vel *ἀοργησίᾳ* locum ex Stoico neque Epicureo fonte fluxisse sumamus. Sed cum non habeamus, cum quibus conferamus, pergamus inde a capite XI pauca ad disputandum proponere.

‚Utilis est, inquit, ira, quia contemptum effugit, quia malos terret'. His verbis Seneca denuo adversarium suum inducit loquentem (XI, 1). Sed videamus, quomodo refu-

tetur. ‚Primum ira, si quantum minatur valet, ob hoc ipsum, quod terribilis est, et invisa est. periculosius est autem timeri quam despici. si vero sine viribus est, magis exposita contemptui est et derisum non effugit'. §. 3: ‚quid, quod semper in auctores redundat timor nec quisquam metuitur ipse securus? occurrat hoc loco tibi Laberianus ille versus —:

‚Necesse est multos timeat quem multi timent'.

Quam irae causam aliquam affert Seneca, contemptum hominum (*ὀλιγωρίαν*), hanc praecipue iram movere censet Plutarchus, qui VII, p. 805: *ἀλλ' αὐτῆς γε τῆς ὀργῆς*, inquit, *ἀναθεωρῶν τὴν γένεσιν, ἄλλους ὑπ' ἄλλων αἰτιῶν ἐμπίπτοντας εἰς αὐτὴν ἑώρων, οἷς ἐπιεικῶς ἅπασι δόξα τοῦ καταφρονεῖσθαι καὶ ἀμελεῖσθαι παραγίνεται.*

Quodque ad refellendam eorum cogitationem, qui credant iratos se minus contemni, profert et contra perpetuo metu ipsos teneri dicit, hoc etiam Philodemus exprimit his verbis (p. 90, 10 sq.): *(τί γὰρ) ἔτι πικρότερεν τῶν ὀργίλων, καθ' ὧν ἥ τε φύσις καὶ τὰ κιρνάμενα ταύτῃ κακοδαιμονικῆς γέμει πικρίας; καὶ συνοικοῦσι δὲ φόβοις καὶ ἀγωνίαις καὶ ταραχαῖς καὶ καθ' ὃν ἐνεργοῦσι χρόνον καὶ μετὰ ταῦτα, τότε μὲν ἐπὶ τῷ μὴ δύνασθαι μετελθεῖν, τότε δὲ ἐννοοῦντες, ὅσους ἔχουσιν ἐχθρούς, τοὺς δὲ μισοῦντας ἄλλως ἢ καταφρονοῦντας οἰκείους τε καὶ τῶν ἔξωθεν ἀνθρώπους.* cf. Cic. off. II, 24: ‚etenim qui se metui volent, a quibus metuentur, eosdem metuant ipsi necesse est' (cf. ib. 23).

Cap. XIII eos vituperat Seneca, qui dicant iram utilem esse aut inevitabilem (ut Philodemus facit p. 131, 29 *εἰ δὲ ἀνέκφευκτον καὶ διὰ τοῦτο φυσικὸν λεγόμενον* cett. p. 132, 5 et 20: *δι' ἣν αἰτίαν ἀνέκφευκτον αὐτὴν ἐδείκνυμεν ἀνθρωπίνῃ φύσει*), et totam removendam esse affirmat. Deinde pergit c. XIV: ‚numquam itaque iracundia admittenda est, aliquando simulanda, si segnes audientium animi concitandi sunt (cf. lib. I, 13, 4), sicut tarde consurgentes ad cursum equos stimulis facibusque subditis excitamus. aliquando incutiendus est iis metus, apud quos ratio non proficit (cf. lib. III, 39, 4: ‚si vehementior erit

aut pudorem illi, cui [cf. Haase vol. III, praef. XXIII] non resistat, incutiet aut metum'.). De simulanda ira, quam interdum suadet Seneca, infra (ad. cap. XVII) accuratius videbimus. Metum autem nonnumquam iratis incutiendum esse, hoc etiam Plutarchus praecipit. Is enim dicit VII, p. 782: *ἑώρων δὲ οὐ μόνον ψυχροῦ κατασκεδαννυμένου λήγουσαν ὀργήν, ὡς Ἀριστοτέλης ἱστόρηκεν, ἀλλὰ καὶ φόβου προσαχθέντος ἀποσβεννυμένην.*

Sequitur deinde exemplum athletarum, qui ictus doloresque patiantur, ut vires caedentis adversarii exhauriant, neque, cum ira suadeat, feriant, sed occasione data. Simili modo etiam Philodemus de his loquitur, p. 113, 36 sq., quem locum Buechelerus (Zeitschrift für östreichische Gymnasien 1864, p. 587), se dicit Seneca respecto restituisse: *(ὁ δ') Ἀντίπατρος εἰ καὶ πρὸς τὰ . . . . τοῖς ἀμυνομένοις χρεία, πυνθάνοιτ' ἂν καὶ πρὸς τοὺς ἀνταγωνιστὰς τῶν ἀλειπτῶν κραυγαζόντων;* ad liquidum vero demum rem duxisse mihi videtur Gomperzius, qui adjutore Buechelero et papyro denuo examinato sic Antipatri (Tarsensis puto, non ut Buech. vult Tyrii cf. Athenae. 14, 643) fragmentum legendum esse monet: *ὁ δ' Ἀντίπατρος εἰ καὶ πρὸς τὰ θηρία θυμοῦ χρεία πυνθάνεται, καὶ πρὸς τοὺς ἀνταγωνιστὰς τῶν ἀλειπτῶν κραυγαζόντων ἄνευ θυμοῦ.* cf. Sitzungsb. d. k. k. Academ. d. W. zu Wien 1876 p. 583 sqq.

Deinde Pyrrhum, maximum certaminis gymnici praeceptorem affert, qui discipulis id primum praecepisse dicitur, ne irascerentur. Nam iram perturbare artem et id tantum parare, ut noceat. Itaque ratione patientiam suaderi, ira vindictam, ut, qui parva mala perpeti noluerit, in maiora devolutus sit: ‚quosdam unius verbi contumelia non aequo animo lata in exilium proiecit. et qui levem iniuriam silentio ferre noluerant, gravissimis malis obruti sunt, indignatique aliquid ex plenissima libertate deminui servile in sese attraxerunt iugum'. Etiam Philodemus auctor est, iratos homines saepenumero exilio punitos esse (cf. p. 53, 26: *(τότε) δὲ φυγαῖς ἐκ τῶν πατρίδων*) et pro levi iniuria summas poenas luisse. Hoc enim Platonem

secutus his verbis exprimit (p. 47, 6): ἀλλὰ παμπόλλων (ἐποιστικὰς) συμφορῶν, ὅταν μὴν (Buechel. μὲν) πάντες ἔχθρας ἀναλάβωσιν ἄνθρωποι καὶ πᾶν ἐκμηχανῶνται, κἂν μὴ τὴν δίκην αὐτόθεν ἐπιθῶσι, πολλάκις δὲ καὶ θανάτων ἐπιπόνων, ὅταν βασιλεῦσιν ἢ τυράννοις ἐγκυρήσωσιν (Buechel. συγκυρήσωσιν) ὁμοτρόποις ἀφυλάκτως (θ' addit Buechel.) ὁμιλήσαντες, (εἶτα) κατὰ τὸν Πλάτωνα[1]) κομίζωνται κούφων καὶ πτηνῶν λόγων βαρυτάτας ζημίας· οὐ γάρ ἐστιν ἀναλαβεῖν τὴν προειμένην (sic Buechel., Cobetus in Mnemosynae N. S. VI, p. 374, πρησμόνην Gomperz) ἅπαξ φωνήν. Idem Platonis dictum etiam Plutarchus respicit, cum VII, p. 790 scribit: διὸ κουφοτάτου πράγματος, ὥς φησιν ὁ Πλάτων, λόγου, βαρυτάτην ζημίαν τίνουσιν, ἐχθροὶ καὶ κακολόγοι καὶ κακοήθεις δοκοῦντες εἶναι[2]).

Homines natura fortes iracundiae indulgent et quodammodo irati saepe magnas res effecerunt. sed nisi illam domant, in audaciam temeritatemque proni sunt et, ut imperari se non sinunt, ita imperare non possunt (c. XV). Deinde falsum esse, pergit Seneca, si qui, ut suam doctrinam firment, animalium exempla attulerint et contenderint, ut animalium generosissima habeantur, quibus multum sit irae, ita homines generosissimos et fortissimos esse, quibus plurimum irae innatum sit. Animalia idcirco non esse respicienda, quia non ratione, sed impetu utantur. Si quis exemplum desideret, mundum deumque intueatur, quem imitetur. Neque id verum, simplicissimos omnium esse iracundos. Non enim simplices esse nominandos, sed incautos (cf. Sen. de ira III, 4, 5). Omnia haec contra Peripateticum dicta sunt, quod apparet ex locis aliquot Aristotelicis. Hic enim hist. anim. p. 608 b 3 sq. dicit: τὰ δ' ἄρρενα ἐναντίως θυμω-

---

[1]) Plat. legg. IV, p. 717: παρὰ δὲ πάντα τὸν βίον ἔχειν τε καὶ ἐσχηκέναι χρὴ πρὸς αὑτοῦ γονέας εὐφημίαν διαφερόντως, διότι κούφων καὶ πτηνῶν λόγων βαρυτάτη ζημία.

[2]) cf. Iasonis verba ad Medeam ap. Eurip. Med. 446 sqq: Οὐ νῦν κατεῖδον πρῶτον, ἀλλὰ πολλάκις | τραχεῖαν ὀργήν, ὡς ἀμήχανον κακόν. | Σοὶ γὰρ παρὸν γῆν τήνδε καὶ δόμους ἔχειν, | κούφως φερούσῃ κρεισσόνων βουλεύματα, | λόγων ματαίων εἵνεκ' ἐκπεσεῖ χθονός.

δέστερα καὶ ἀγριώτερα καὶ ἁπλούστερα καὶ ἧττον ἐπίβουλα. rhet. I, 10 (p. 1367 a 36) *καὶ ἕκαστον δ' ἐκ τῶν παρακολουθούντων ἀεὶ κατὰ τὸ βέλτιστον, οἷον τὸν ὀργίλον καὶ τὸν μανικὸν ἁπλοῦν καὶ τὸν αὐθάδη μεγαλοπρεπῆ καὶ σεμνόν*. eth. Nicom. VII, p. 1149 b 14: *ὁ μὲν οὖν θυμώδης οὐκ ἐπίβουλος οὐδ' ὁ θυμός, ἀλλὰ φανερός*[1]).

Capite deinde XVII negat Annaeus oratorem iratum aliquando meliorem esse, sed tantum imitatum iratum. Nam, ut histriones non irati populum moveant, sed iratum bene agentes, ita etiam apud iudices et in concione, ut modo ira modo metus modo misericordia aliis incutiatur, iram assimulandam esse. Qua de re Aristoteles quoque in rhet. agit et iram oratoris laudat; dicit enim III, 19. p. 1419 b 24 sq.: *μετὰ δὲ ταῦτα (δεῖ τὸν ῥήτορα) εἰς τὰ πάθη ἄγειν τὸν ἀκροατήν· ταῦτα δ' ἐστὶν ἔλεος καὶ δείνωσις καὶ ὀργὴ καὶ μῖσος καὶ φθόνος καὶ ζῆλος καὶ ἔρις.*

Illa autem Seneca disputat fontem suum Stoicum (Chrysippum) secutus, cuius rei Ciceronem testem habeo. Qui quidem eodem modo de oratore disputat atque Seneca, quin etiam histriones eodem sententiarum connexu commemorat (Tusc. disp. IV, 55): ‚oratorem vero irasci minime decet, simulare non dedecet. An tibi irasci tum videmur, cum quid in causis acrius et vehementius dicimus? quid? quum iam rebus transactis et praeteritis orationes scribimus, num irati scribimus?

‚Ecquis hoc animadvertit? vincite'.

num aut egisse unquam iratum Aesopum aut scripsisse existimamus iratum Accium? et sq. cf. de oratore I, 220.

---

[1]) Cf. Eurip. Med. 319: *γυνὴ γὰρ ὀξύθυμος, ὡς δ' αὔτως ἀνήρ, | ῥᾴων φυλάσσειν ἢ σιωπηλὸς σοφός*. schol. ad hunc locum: *πᾶσα γὰρ (φησὶν) ὀξύθυμος γυνή, ὁμοίως δ' ἂν καὶ ἀνήρ, εὐμαρέστερον ἂν φυλαχθείη ἢ ὁ κρύπτων τὴν ὀργήν. τούς τε γὰρ φανερῶς ὀργιζομένους εὐμαρῶς προορώμεθα φυλάττεσθαι, τοὺς δὲ ἐν ἀφανεῖ κρύπτοντας τὴν μῆνιν, οὐχ οἷόν τε διὰ τὸ ἀπρόοπτον. καὶ σὲ οὖν (φησὶ) σιωπηλὴν οὖσαν, οὐκ εὐμαρὲς φυλάξασθαι. — Ῥᾴων ἐστὶ φυλάττεσθαι (φησὶν) ὀξύθυμος ἀνήρ. ὡσαύτως δὲ καὶ γυνή. φανεροὶ γάρ εἰσι, καὶ πάντα ἐκχέουσιν ὀργιζόμενοι· ὁ δὲ σιωπηλὸς δυσπαραίτητός ἐστιν, ἐν αὐτῷ κρύπτων καὶ καιροφυλακῶν τὴν ὀργήν.*

Quod vero fragmentum a Stobaeo asservatum (XX, 54b) Sotioni supra (p. 11) tribuendum censuimus, idem ex communi fonte Stoico, Chrysippo, sumptum esse videtur[1]).

Accedit deinde Seneca ad remedia irae, quae duo esse vult, unum, ne incidamus in iram, alterum, ne in ira peccemus. Ne incidamus providendum esse primum educatione, deinde ordinandis sequentibus aetatibus. Priusquam autem de ipsa educatione praecepta sua dat, inserit locum insignem ad physiognomoniam, quam vocant, pertinentem. Qui, nisi fallor, ex Chrysippo sumptus est, cuius cum Seneca consentientia fragmenta aliquot apud Galenum asservantur. Cogitabam etiam de Posidinio Stoico, qui primo libro operis sui *περὶ παθῶν* commentatiunculam de eruditione inseruit, qua nonnulla ad physiognomoniam pertinentia peroravit, quae similitudinem habent cum loco Annaeano. Galenus enim l. l. V, p. 463 sq. haec scribit: *συνάπτει δ' εἰκότως τοῖς λόγοις τούτοις ὁ Ποσειδώνιος τὰ κατὰ τὸν φυσιογνώμονα φαινόμενα. καὶ γὰρ τῶν ζώων καὶ τῶν ἀνθρώπων, ὅσα μὲν εὐρύστερνά τε καὶ θερμότερα, θυμικώτερα πανθ' ὑπάρχειν φύσει, ὅσα δὲ πλατυίσχιά τε καὶ ψυχρότερα, δειλότερα* (cf. Sen. II, 19, 2 ‚eadem animalium hominumque discrimina sunt: refert, quantum quisque humidi in se calidique contineat: cuius in illo elementi portio praevalebit, inde mores erunt, iracundos fervida animi natura faciet: est enim actuosus et pertinax ignis. frigidi mixtura timidos facit [l. faciet]: pigrum est enim contractumque frigus'.). *καὶ κατὰ τὰς χώρας οὐ σμικρῷ τινι διενηνοχέναι τοῖς ἤθεσι τοὺς ἀνθρώπους εἰς δειλίαν καὶ τόλμαν, ἢ τὸ φιλήδονόν τε καὶ φιλόπονον, ὡς τῶν παθητικῶν κινήσεων τῆς ψυχῆς ἑπομένων ἀεὶ τῇ διαθέσει τοῦ σώματος, ἣν ἐκ τῆς κατὰ τὸ περιέχον κράσεως οὐ κατ' ὀλίγον ἀλλοιοῦσθαι.* cf. p. 466 *ταῦτά τοι καὶ ὁ Ποσειδώνιος αὐτῷ* (scil. *Χρυσίππῳ*) *μέμφεται μετὰ τοῦ καὶ θαυμάζειν, ὅσα*

---

[1]) *Ὑποκριταῖς μὲν οὖν καὶ μὴ ὀργιζομένοις ὑποκριναμένοις ὀργὴν συνήνεγκεν· οἱ δὲ σπουδαῖοι ἄνδρες οὐδ' ἐὰν ὡς ἀληθῶς ὀργίζωνται, οὕτω χρῶνται τῷ σχήματι.*

Πλάτων εἶπεν ὑπὲρ τῆς τῶν παίδων ἔτι τε κυουμένων ἐν τῇ μήτρᾳ διαπλάσεως, ἀποκυηθέντων τε τροφῆς καὶ παιδείας, καὶ γέγραφεν οἷον ἐπιτομήν τινα κατὰ τὸ πρῶτον αὐτοῦ περὶ παθῶν σύγγραμμα τῶν ὑπὸ Πλάτωνος εἰρημένων, ὡς χρὴ τρέφεσθαι καὶ παιδεύεσθαι τοὺς παῖδας ὑπὲρ τοῦ τὸ παθητικόν τε καὶ ἄλογον τῆς ψυχῆς σύμμετρον ἀποφαίνεσθαι ταῖς κινήσεσι καὶ τοῖς τοῦ λόγου προστάγμασιν εὐπαθές.

Sed tamen Posidonium hoc loco fontem non fuisse inde apparet, quod et hic nimis a Stoicorum de affectibus doctrina abhorruit et excepto illo apud Lactant. ad Senecam referendo loco (cf. p. 29) nulla alia eius vestigia in hoc dialogo existunt. Immo Seneca aut ex Chrysippo ipso haec omnia hausit aut ex recentiore aliquo, fortasse ex Sotione, qui sine dubio veterum philosophorum placita in suis de ira libris collegerat. Quae de Chrysippo ex Galeno comperimus, ea subinde apponemus. Ille enim etiam de elementorum in hominum ingeniis mixtura in quarto libro περὶ παθῶν (i. e. in θεραπευτικῷ sive ἠθικῷ) locutus est, quod Galenus testatur V, p. 439 his verbis: τοῦτο δ᾽ οὐδὲν ἧττον αὐτῇ καὶ κατὰ τὸν ἀφεξῆς ὑπάρχει λόγον ἅπαντα τὸν ἐν τῷ περὶ παθῶν ἠθικῷ. γράφει γοῦν ὧδε· διὸ καὶ κατὰ τρόπον προῆκται Ζήνωνι λόγος· ἡ δὲ τῆς ψυχῆς νόσος ὁμοιοτάτη ἐστὶ τῇ τοῦ σώματος ἀκαταστασίᾳ· λέγεται δὲ εἶναι σώματος νόσος ἡ ἀσυμμετρία τῶν ἐν αὐτῷ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ καὶ ξηροῦ καὶ ὑγροῦ.

Si §. 3 Seneca dicit, quosdam e Stoicis iram voluisse moveri in pectore circa cor sanguine effervescente, hoc Chrysippum docuisse ex Galeno eodem discimus, qui illius verba sic affert (V, p. 268): κοινῇ δέ μοι δοκοῦσιν οἱ πολλοὶ φέρεσθαι ἐπὶ τοῦθ᾽, ὡςανεὶ αἰσθανόμενοι περὶ τὸν θώρακα αὐτοῖς τῶν κατὰ τὴν διάνοιαν παθῶν γιγνομένων, καὶ μάλιστα καθ᾽ ὃν ἡ καρδία τέτακται τόπον, οἷον μάλιστα ἐπὶ φόβων καὶ τῶν λυπῶν λέγω καὶ ἐπὶ τῆς ὀργῆς, καὶ μάλιστα τοῦ θυμοῦ. — p. 269: καὶ τὰ τῶν ὀργιζομένων πάθη, φησί, φαίνεται περὶ τὸν θώρακα γιγνόμενα, καὶ τὰ τῶν ἐρώντων. καὶ λοιπὸν οὐκ ἔτι παύεται περὶ τῶν παθῶν διαλεγόμενος, ὡς ἔν τε τῷ θώρακι καὶ

περὶ τὴν καρδίαν μάλιστα συνίστασθαι φαινομένων. cf. p. 290 et p. 343.

Idem autem iam veteres philosophi docuerant, cuius rei inter alios testimonia idem Galenus attulit. De Platone quidem id docet V, p. 582 his verbis: *Πλάτων — φησὶν ἐπὶ τῆς καρδίας, ἵν', ὅτε ζέσειε τὸ τοῦ θυμοῦ μένος. οἱ δὲ μετ' αὐτὸν φιλόσοφοι καὶ ὁρισμὸν τοῦτον ἐποιήσαντο τοῦ θυμοῦ, ζέσιν εἶναι φάσκοντες αὐτὸν τοῦ κατὰ τὴν καρδίαν θερμοῦ* (cf. vol. VII, p. 4 et p. 283). V, p. 292, ubi dicit Chrysippum, cum iram circa cor nasci contenderit, veterum sententiae adstipulatum esse: *ἐν ταύτῃ τῇ ῥήσει συγχωρεῖν ἔοικεν ὁ Χρύσιππος τῷ παλαιῷ λόγῳ, ζέσιν τινὰ τῆς ἐμφύτου θερμότητος ὑπολαμβάνοντι γίγνεσθαι κατὰ τὴν καρδίαν ἐν τοῖς θυμοῖς, ῇ ζέσει τό τε διαφυσᾶσθαι τὸ πρόσωπον ἕπεται, καὶ σύμπαν ἐρεύθειν τε καὶ θερμαίνεσθαι τὸ σῶμα, καὶ σφοδρῶς πηδᾶν τὴν καρδίαν σὺν ταῖς κατὰ τὸ ζῶον ἁπάσαις ἀρτηρίαις* cf. p. 293.

Eandemque definitionem physicam apud Aristotelem invenimus duobus locis, probl. II, 26: *καὶ γὰρ ὁ θυμὸς ζέσις τοῦ θερμοῦ ἐστι τοῦ περὶ τὴν καρδίαν*, et de anim. I, 1, ubi aliter physicum, aliter dialecticum iram definiturum esse dicit, quem locum supra (p. 30) iam exscripsimus.

Ac multis aliis locis Galenus iram circa cor sedem habere auctor est, quae sententia apud veteres divulgata fuisse videtur. Praeter alia conferas Galen. vol. VII, p. 4: *ὁ θυμὸς ζέσις τις ὢν τοῦ περὶ τὴν καρδίαν θερμοῦ διὰ κίνησιν ἄμετρον ὅλον ἐπινειμάμενος ἐνίοτε τὸ σῶμα πυρετὸν ἀνῆψε.* ib. p. 283: *ὁ δέ γε θυμὸς οἷον ζέσις τις καὶ κίνησις σφοδρὰ τῆς θυμοειδοῦς δυνάμεως ἐν τῷ σώματι τῆς καρδίας αὐτῷ καθιδρυμένης.* vol. VI, p. 138: *ὁ μέν γε θυμὸς οὐδ' ἁπλῶς αὔξησις, ἀλλ' οἷον ζέσις κατὰ τὴν καρδίαν θερμοῦ· διὸ καὶ τὴν οὐσίαν αὐτοῦ τῶν φιλοσόφων οἱ δοκιμώτατοι τοιαύτην εἶναί φασι· συμβεβηκὸς γάρ τι καὶ οὐσία τοῦ θυμοῦ ἐστιν ἡ τῆς ἀντιτιμωρήσεως ὄρεξις.* cf. Doxopatri[1]) *προλεγ. τῆς ῥητορικῆς* (rhet. graec. ed. Walz vol. II, p. 80): *θυμὸς* —

[1]) De nominis forma cf. Freudenthal „Hellenistische Studien" p. 272.

ἐστὶ ζέσις τοῦ περὶ καρδίαν αἵματος δι᾽ ὄρεξιν ἀντιλυπήσεως κινουμένου. schol. ad. Aristoph. ran. 869: *θυμὸς γάρ ἐστι ζέσις τοῦ περὶ καρδίαν αἵματος δι᾽ ὄρεξιν ἀντιλυπήσεως κινουμένου.* Melet. monach. *περὶ τῆς τοῦ ἀνθρώπου κατασκευῆς* in Crameri anecd. Oxon. III, p. 25: *καὶ ἐκ μὲν τοῦ θυμικοῦ ὁ θυμὸς γεννᾶται. ἔστι δὲ θυμὸς ζέσις τοῦ περικαρδίου* (cod. C. *περὶ καρδίαν*) *αἵματος πρὸς ὄρεξιν ἀντιλυπήσεως.* In his postremis definitionibus illae duae Aristotelis (de anim. I, 1) coniunctae sunt.

Causam cur voluerint corporis illo loco iram nasci, eam esse dicit Seneca (XIX, 3), quod in toto corpore calidissimum pectus sit. Quibus autem plus humidi insit, eorum iram paullatim crescere, quia illis non paratus sit calor, sed motu adquiratur. (§. 4) ‚itaque puerorum feminarumque irae acres magis quam graves sunt levioresque dum incipiunt. — senes difficiles et queruli sunt, ut aegri et convalescentes et quorum aut lassitudine aut detractione sanguinis exhaustus est calor. (§. 5) In eadem causa sunt siti fameque tabidi (sic Gertz; rabidi Haase) et quibus exsangue corpus est maligneque alitur et deficit' (cf. Sen. I, 13, 5: iracundissimi infantes senesque et aegri sunt. incalidum omne natura querulum est). Idem apud Plutarchum V, p. 792, 793 legimus: *διὸ καὶ γυναῖκες ἀνδρῶν ὀργιλώτεραι καὶ νοσοῦντες ὑγιαινόντων καὶ γέροντες ἀκμαζόντων καὶ κακῶς πράττοντες εὐτυχούντων.* Nec Aristotelis locus quidam (rhet. II, 2, p. 1379 a 15) praetereundus est, qui idem fere exprimit: *(διὸ) κάμνοντες πενόμενοι ἐρῶντες διψῶντες ὅλως ἐπιθυμοῦντες καὶ μὴ κατορθοῦντες ὀργίλοι εἰσὶ καὶ εὐπαρόρμητοι μάλιστα μὲν πρὸς τοὺς τοῦ παρόντος ὀλιγωροῦντας.*

Quae deinde apud Senecam sequuntur cc. XX et XXI praecepta continent educationis liberorum. Sed cum in eis nihil invenerim, quod ad fontem suum redigam, supersedeo ea enarrare et transeo statim ad c. XXII, in quo est quod moneamus. Praecipit enim auctor, quomodo adulti homines iram evitare possint. Cum causa iracundiae opinio sit iniuriae, optimum esse, ei neque indulgere neque

credere. Dandum esse semper tempus, ut veritas aperiatur. Criminantibus non esse credendum, cum hoc humanae naturae sit, ut libenter credamus, quae inviti audiverimus et irascamur, antequam iudicaverimus. ‚Quid, quod non criminationibus tantum, sed suspicionibus inpellimur et ex voltu risuque alieno peiora interpretati innocentibus irascimur?' Simili modo Plutarchus quoque VII, p. 783 loquitur: *οὕτως ὁ τῷ θυμῷ προσέχων ἐν ἀρχῇ καὶ κατὰ μικρὸν ἔκ τινος λαλιᾶς καὶ βωμολοχίας συρφετώδους ὁρῶν καπνιῶντα καὶ διακαιόμενον οὐ μεγάλης δεῖται πραγματείας, ἀλλὰ πολλάκις αὐτῷ τῷ σιωπῆσαι καὶ καταμελῆσαι κατέπαυσε· καὶ γὰρ τὸ πῦρ ὁ μὴ παρασχὼν ὕλην ἔσβεσε καὶ ὀργὴν ὁ μὴ θρέψας ἐν ἀρχῇ καὶ μὴ φυσήσας ἑαυτόν, ἐφυλάξατο καὶ καθεῖλεν.* ibid. *οὐδὲ γὰρ ἀρχὰς ἔχει μεγάλας ἀεὶ καὶ ἰσχυράς, ἀλλὰ καὶ σκῶμμα καὶ παιδιὰ καὶ τὸ γελάσαι τινὰ καὶ τὸ διανεῦσαι καὶ πολλὰ τοιαῦτα πολλοὺς εἰς ὀργὴν καθίστησιν.* Etiam Philodemus p. 89 eodem modo vituperat, iracundos saepe vultum et risum aliorum male interpretatos falsam suspicionem capere, quam rem ubique vitam invisam reddere et omne gaudium tollere. Neque enim spectatulis gaudere neque balneis neque conviviis neque itineribus neque alia ulla re, quae alios delectet, sed omnia invisa ipsis fieri, quia irritentur *διὰ νεῦμα καὶ ψιθυρισμὸν καὶ γέλωτα καὶ τῶν ἐφ' οἷς ἐθυμώθησαν ὑπό τινος ἀναμίμνησιν.*

Quae deinde apud Senecam disputantur, praetereamus et c. XXV, §. 3 inspiciamus. Ubi animum et corpus voluptates corruperint, nihil hominibus tolerabile videri. ‚Quid est enim, cur tussis alicuius aut sternutamentum aut musca parum curiose fugata in rabiem agat aut obversatus canis aut clavis (cf. Galen. vol. V, p. 22) neglegentis servi manibus elapsa?'

Idem apud Philodemum exemplum muscarum invenimus p. 65, 15 sq.: *περὶ μὲν γὰρ τοῦ μωρότατον εἶναι τὸ πάθος ἔργον λέγειν, ὅταν καὶ μυίαις φόνους μηχανῶνται δεινοὺς καὶ κάνωψι μετὰ βριμώσεως καὶ ἀπειλῶσι καὶ ῥαπίζωσιν ὡς καταφρονούμενοι.*

Est etiam, ut c. XXVI aliquo loco cum Philodemo Seneca consentiat, quo eorum insania castigatur, qui bilem in res et animalia effundunt, quae iniuriam illis facere aut non potuerunt aut non voluerunt, quia sensu et ratione carent, ut lapis et equus. Ibi § 3 haec verba inveniuntur: ‚ad ultimum quid est dementius, quam bilem in homines collectam in res effundere? Atqui ut his irasci dementis est, quae anima carent, sic mutis animalibus, quae nullam iniuriam nobis faciunt, quia velle non possunt: non est enim iniuria nisi a consilio profecta'. Apud Philodemum p. 90, 3 sq. eandem sententiam habemus: . . . . ἢ παιδάριον ἤ τι (ἄλλο) τῶν τοιούτων, κἂν μὴ (Buecheler l. l. p. 585, Gomperz καὶ οὐχ ὅτι) ἀνθρώπους ἀλλὰ (καὶ) ἄλογα ζῶα καὶ ἄψυχα καὶ μικροῦ δεῖν (πάντα) . . . . Qui loci cum mirum in modum inter se similes esse eluceat, ni fallor, ex communi fonte Stoico sive primario sive derivato fluxerunt.

Tum pergit Seneca stultitiae eorum illudere, qui cum equis haerere non possint, si aliis hos obsequentes viderint, illis irascantur, quia sibi tantum contumaces esse putent neque sciant illud fieri ipsorum artis equitandi imperitia. Eadem comparatione ii, qui de affectibus scripserunt, saepius usi esse videntur. Nam apud Galenum simili modo atque apud Senecam huius rei fit commemoratio, quo in loco nescio an Chrysippum secutus sit. Dicit enim V, p. 302, sq.: ὃν γὰρ ἱππεὺς πρὸς ἵππον ἢ κυνηγέτης πρὸς κύνα λόγον ἔχουσιν, τοῦτον ὁ λογισμὸς πρὸς θυμόν· ἄρχειν μὲν γὰρ ἐν ἅπασι καὶ κρατεῖν ἐστι δικαιότερον τὸ φύσει κρεῖττον, ἱππεὺς μὲν ἵππου κυνηγέτης δὲ κυνός, λογισμὸς δὲ θυμοῦ, συμβαίνει δ' οὐκ ἀεὶ νόμῳ φύσεως διοικεῖσθαι τὴν συζυγίαν, ἀλλ' ἵππος μὲν ἐνίοτε δυσπειθὴς οὐ κατὰ κόσμον ἐκφερόμενος συναπήνεγκεν αὐτῷ τὸν ἀναβάτην ἀρρωστίᾳ ἢ δυνάμεως ἢ ἐπιστήμης ἱππικῆς ἀμαθίᾳ νικηθέντα, θυμὸς δὲ ἰσχυρὸς καὶ ἐπὶ τιμωρίαν ἄκαιρον ἐξορμήσας σφοδρότερόν ἐστιν ὅτε συνεπεσπάσατο λογισμὸν ἄρρωστον ἢ ἀμαθῆ. cf. etiam Philod. p. 114, 1 sq.

Cap. XXIX maximum remedium irae moram esse Se-

neca contendit, et petendum esse non ut ignoscamus irati, sed ut iudicemus. Tum fore ut ipsa desinat ira. Idem suadent Cicero Plutarchus Chrysippus Aristoteles.

Cicero enim Tusc. disp. IV, 78 hoc laudat: ‚(iratis) aut subtrahendi sunt ei, in quos impetum conantur facere, dum se ipsi colligant aut rogandi orandique sunt, ut, si quam habeant ulciscendi vim, differant in tempus aliud, dum defervescat ira'.

Plutarchus vero VII p. 802: *οὔτε*, inquit, *τῷ κολάζειν ἐμποδὼν ἔσται τὸ διδάσκειν εὐκαίρως τοῦτο ποιεῖν καὶ μετρίως καὶ ὠφελίμως καὶ πρεπόντως. πειρῶμαι τὴν ὀργὴν ἀφαιρεῖν μάλιστα τῷ μὴ παραιρεῖσθαι τῶν κολαζομένων τὴν δικαιολογίαν, ἀλλ᾽ ἀκούειν. ὅ τε γὰρ χρόνος ἐμποιεῖ τῷ πάθει διατριβὴν καὶ μέλλησιν ἐκλύουσαν, ἥ τε κρίσις εὑρίσκει καὶ τρόπον πρέποντα καὶ μέγεθος ἁρμόττον κολάσεως. ἔτι δ᾽ οὐχ ὑπολείπεται πρόφασις τῷ διδόντι δίκην ἀντιτείνειν πρὸς τὴν ἐπανόρθωσιν, ἂν μὴ κατ᾽ ὀργήν, ἀλλ᾽ ἐξελεγχθεὶς κολάζηται.* cf. ibid. p. 803.

Galen. V, p. 419: *ὅτι δ᾽ ἐν τῷ χρόνῳ μαλάττεται τὰ πάθη κἂν αἱ δόξαι μένωσι τοῦ κακόν τι αὐτοῖς γεγονέναι καὶ ὁ Χρύσιππος ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ παθῶν μαρτυρεῖ* et sq. p. 425 *καὶ τὰ ἔθη φαίνεται πλεῖστον δυνάμενα καὶ ὅλως ὁ χρόνος εἰς τὰς παθητικὰς κινήσεις.*

Aristoteles quoque idem censet. cf. Rhet. II, 2. p. 1380b. 6: *παύει ὀργὴν ὁ χρόνος.*

Cap. XXXI vituperantur homines, qui, cum necopinata mala aut iniuriae sibi fiant, irascantur. Hoc facere eos ignorantia rerum. ‚nam quid novi esse si inimicus noceat, amicus offendat, filius labatur, servus peccet'. Quamque Fabius dixisset turpissimam imperatori excusationem esse ‚non putavi', hanc omnino homine indignissimam (cf. Cic. off. I, 81). Atque aute omnia cogitandum foedam et exsecrabilem esse vim nocendi et minime hominibus convenire, quorum beneficiis vel saeva mitigentur. Eandem sententiam Plutarchus VII p. 813 his verbis exprimit: *ἀλλ᾽ ἡμεῖς ἀγριαίνοντα τιθασσεύομεν ζῶα καὶ πραΰνομεν, λυκιδεῖς καὶ σκύμνους λεόντων ἐν ταῖς ἀγκάλαις περιφέρον-*

τες, εἶτα καὶ τέκνα καὶ φίλους καὶ συνήθεις ἐκβάλλομεν ὑπ' ὀργῆς. οἰκέταις δὲ καὶ πολίταις τὸν θυμὸν ὥσπερ θηρίον ἀφίεμεν. cf. Sen. c. XXXI, 6. 7, c. VIII, 3, lib. III, 8, 3.

‚At enim ira habet aliquam voluptatem et dulce est dolorem reddere'. (c. XXXII, 1.) Hanc, quam Peripateticorum opinionem esse mox videbimus, Seneca redarguit disputans non, ut merita meritis repensentur, ita iniurias iniuriis puniendas esse. Immo ignoscendum ei, qui laeserit et faciendum more Catonis, qui, cum in balneo a quodam invito esset percussus, satisfacienti: ‚non memini, inquit, me percussum'. Magni igitur animi esse iniurias despicere et contumeliosissimum genus ultionis, non esse visum dignum, in quem consuleretur. Nec raro tum iniuriarum morsus maxime sentiri, cum vindicarentur illae. (cf. Sen. lib. II, c. 30. Plut. VII, p. 806: *καὶ (δεῖ) καταφρονεῖσθαι μὴ νομίζειν, ἀλλὰ μᾶλλον ἐκείνου καταφρονεῖν ὡς δι' ἀσθένειαν ἢ πλημμέλειαν ἢ προπέτειαν ἢ ῥαθυμίαν ἢ ἀνελευθερίαν ἢ γῆρας ἢ νεότητα πλημμελοῦντος.)* Fine capitis Stoicorum more sapientem suum Seneca sic depingit: ‚ille magnus et nobilis, qui more magnae ferae latratus minutorum canum securus exaudit'. cf. lib. III, 25, 3. ‚sic immanis fera ad latratum canum lenta respexit'. Etiam apud Philodemum invenimus (p. 66. 24) similem comparationem: *καὶ τῶν μὲν κυνῶν οἱ πρὸς τὰς θήρας, ἂν οἰκουρὸς αὐτοὺς ὑλακτῇ παριόντας, οὐκ ἐπιστρέφονται.*

Nunc videamus, unde Peripateticos sciamus iram laudasse, quia dulce sit dolorem reddere. Ecce rursus Aristoteles, qui copiam locorum nobis suppeditat, quibus illud contenditur. Eth. Nicom. IV, 11 p. 1126a 21: *ἡ γὰρ τιμωρία παύει τῆς ὀργῆς ἡδονὴν ἀντὶ τῆς λύπης ἐμποιοῦσα.* Rhet. II, 2, p. 1378b 1: *πάσῃ ὀργῇ ἕπεσθαί τινα ἡδονὴν τὴν ἀπὸ τῆς ἐλπίδος τοῦ τιμωρήσασθαι. — ἡ οὖν τότε γινομένη φαντασία ἡδονὴν ἐμποιεῖ ὥσπερ ἡ τῶν ἐνυπνίων.* Rhet. I, 11. p. 1370b 10: *καὶ τὸ ὀργίζεσθαι ἡδὺ ὥσπερ καὶ Ὅμηρος ἐποίησε περὶ τοῦ θυμοῦ* (Il. 18, 109.)

‚ὥστε πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο'. καὶ τιμωρεῖσθαι ἡδύ· οὐ γὰρ τὸ μὴ τυγχάνειν λυπηρόν, τὸ τυγχάνειν ἡδύ. οἱ δ' ὀργιζόμενοι λυποῦνται ἀνυπερβλήτως μὴ τιμωρούμενοι, ἐλπίζοντες δὲ χαίρουσιν. Eth. Nicom. III, 11, p. 1117a 5: καὶ οἱ ἄνθρωποι δὴ ὀργιζόμενοι μὲν ἀλγοῦσι, τιμωρούμενοι δ' ἥδονται. cf. Eudem. moral. III, 1, p. 1229b 31: καὶ γὰρ ὁ θυμὸς ἡδονὴν ἔχει τινά· μετ' ἐλπίδος γάρ ἐστι τιμωρίας. — Ad eandem Peripateticorum doctrinam Philodemus spectat cum (p. 108, 23 sq.) scribit: ὡσαύτως δὲ τὸ τιμωρίαν ἑκόντων (Gomperz., δακόντων Buecheler.) ἐχθρῶν κατασκευάζειν, ὃ καλόν τε ὑπάρχειν καὶ δίκαιον καὶ σύμφορον ἰδίᾳ καὶ κοινῇ καὶ πρὸς τούτοις ἡδύ. Sine dubio Philodemus hunc locum ex fonte uberiore hausit, quam nobis exstat in scriptis Aristotelis; puto ex Theophrasti libro περὶ παθῶν (cf. p. 14 sq.).

C. XXXIII eos (scil. Peripateticos) impugnat auctor noster, qui dicant: ‚minus contemnemur si vindicaverimus iniuriam'. Atque contra laudat eos qui iram dissimularint et potentiorum iniurias hilari voltu, non patienter solum tulerint. Nam ‚illi facient iterum (scil. iniuriam), si se laesisse[1]) crediderint' et ‚animi magna fortuna insolentes, quos laeserunt et oderunt' (cf. Cic. off. II, 23. Ennii fragm. 403 edid. Vahlen.). Quem vero hic (et ep. 14, 7) humilem sapientis animum praedicat (cf. Sen. Med. v. 433 nemo potentes aggredi tutus potest. Eurip. Med. v. 314, ubi Medea de se loquitur: καὶ γὰρ ἠδικημένοι | Σιγησόμεσθα, κρεισσόνων νικώμενοι), eum alio loco huius dialogi

---

[1]) codd. ‚fecisse', quod sensum non praebet. Itaque ‚laesisse' recte restituisse mihi videor, quod et sententiae optime convenit et proxime ad codicum scripturam accedit. Puta in archetypo fuisse ΛECICCE quod a librario, Λ obtiterata, in FECICCE mutatum est, cum ‚facient' verbum, quod praecedit, praeterea ad hunc errorem adduceret. Recte scribendum esse ‚laesisse' verba etiam confirmant quae sequuntur: ‚quos laeserunt et oderunt'. cf. Tacit. Agric. c. 42, 4 proprium humani generis est odisse quem laeseris.

(lib. III, 14, 4) vehementer exsecratur neque tam sibi ipsi constantem hac in re se praebet, quam ex praeceptis eius exspectaveris (Zeller: hist. philos. Graec. III, 1, p. 116).

Quae deinde apud Senecam de Pastore, equite quodam Romano, narrantur, omittamus et c. XXXIV initium inspiciamus.

Ira incensum contendere cum paribus esse anceps, cum superioribns furiosum, cum inferioribus sordidum. Ac pergit deinde Seneca: ‚pusilli hominis est et miseri repetere mordentem. mures formicaeque, si manum admoveris, ora convertunt, imbecillia se laedi putant, si tanguntur'. Quid, quod Plutarchus idem murium formicarumque exemplum sermoni inserit? Nam VII, p. 797 dicit: *τὸ δὲ ἐμφῦναι καὶ δακεῖν μυρμηκῶδες καὶ μυῶδες*, et similiter p. 792: *τὰ γὰρ ἔργα καὶ τὰ κινήματα καὶ τὰ σχήματα μικρότητα πολλὴν καὶ ἀσθένειαν κατηγορεῖ. — καὶ περὶ τὰς τυραννικὰς μιαιφονίας τῷ πικρῷ τὸ μικρόψυχον αὐτῶν καὶ τῷ δρῶντι τὸ πεπονθὸς ἐνορώμενον ἔοικε τοῖς δήγμασι τῶν ἑρπετῶν, ὅταν διακαῇ καὶ περιώδυνα γένηται, τὴν φλεγμόνην ἀπερειδομένων σφόδρα τοῖς λελυπηκόσιν.* Hunc inter utrumque scriptorem tam insignem consen[illegible] aliter interpreteris, nisi ita, ut utrumque in eodem auctore excerpendo operam navasse sumas.

De cap. XXXV et initio XXXVI supra (p. 20 sq., 11 sq.) iam diximus; restat, ut quae libri II ultimi capitis alia monenda sint pertractemus. § 4 transit Seneca ad noxam, quam ira per se multis fecerit. ‚Alii nimio fervore rupere venas et sanguinem supra vires elatus clamor egessit et luminum subfudit aciem in oculos vehementius humor egestus et in morbos aegri recidere'. (§ 5) ‚Nulla celerior ad insaniam via est. multi itaque continuaverunt irae furorem nec quam expulerant mentem umquam receperunt: Aiacem in mortem egit furor, in furorem ira'. Qua de re Philodemum quoque habemus quem consulamus. Qui postquam p. 36 externa signa irae (ut Seneca c. XXXV,) depinxit et ipse pergit, peri-

culosos eius effectus in memoriam revocare, sine dubio Aiacis exemplum sibi proponens. Quae ut demonstrem, verba eius (p. 41) apponere liceat:

— *τρόμους καὶ (κραδασμοὺς) τῶν μελῶν καὶ (παραλύσεις) οἷα συμβαίνει (καὶ) τοῖς ἐπιληπτικοῖς, ὥστε συνεχῶς παρακολουθούντων τὸν ἅπαντα βίον ἐπιτρίβεσθαι καὶ τὸν πλείω χρόνον εἰς ἐκτροφὴν κακοδαιμονίας λαμβάνειν· τὸ δ' ὅτι πολλοῖς ἐγέννησεν αὐτό τε καὶ τὰ γινόμενα δι' αὐτοῦ ῥήξεις πλευμόνων* (Sen. rupere venas) *καὶ πλευρῶν πόνους καὶ πολλὰ τοιουτότροπα πάθη θανάτους ἐπιφέροντα καὶ παρὰ τῶν ἰατρῶν ἀκούειν ἔστιν καὶ παρατηροῦσιν (αὐτοῖς) ἐπιβλέπειν· καὶ πρὸς μελαγχολίας δὲ περιστᾶσιν (ἅμα) συνεχεῖς (ὅτι πολλάκι καὶ τὸ) μέλανας γενέσθαι.* Idemque p. 102, 10 sq. exprimit his verbis: — *μηδ' ὡς οὐκ ἔχουσι τὸ πάθος ὑπομιμνήσκομεν, ὅτι οὐ μόνον συνεχῶς θυμοῦνταί τινες, ἀλλ' ἐνίοτε καὶ τοῖς κατ' ἀριθμὸν* (cf. Buecheler l. l. p. 586) *ὀργαῖς πολυχρονίοις ἐνέχονται καὶ δυσαποκαταστάτοις, κἂν ἐπισχεθῶσι πάλι καὶ πυκνὸν ἀνοιδούσαις, τισὶ δὲ καὶ μέχρι τῆς τελευτῆς διαμενούσαις, πολλάκις δὲ καὶ παρατιθεμέναις παισὶ παίδων.* Aiacem quoque p. 59, 9 sq. cogitandum esse ad verba: *οὐδὲ μετὰ χρόνον ἐπι . . . . [ἀμέ-] [illegible]ς πραχθεῖσι, ἀλλ' εὐθέως κάθηνται τιλλόμενοι καὶ κλαίοντες ἐφ' οἷς ἐπαρρώνησαν, ἐνίοτε δ' αὐτοὺς ἐπικατασφάττοντες*, recte iam Buechelerus (l. l, p. 582) vidit.

Porro vero contendere audeo etiam apud Chrysippum Aiacis commemorationem factam esse et Senecam Ciceronem Philodemum ex hoc hausisse, cum confero Tusc. disp. IV, 52: ‚nam Aiacem quidem ira ad furorem mortemque perduxit'.[1]) (cf. supra p. 18.)

---

[1]) cf. Liban. (IV. p. 989 ed. Reiske), qui compluria exempla eorum congerit, qui irati aut aliis aut sibi ipsi nocuerunt quam maxime. Inter hos etiam sunt, quos apud Senecam invenimus. Describitur enim ira M e d e a e, Procnae, Thebanorum contra septem Argivos, Achillis, Tydei, C a m b y s i s, Atheniensium adversus decem praetores, A l e x a n d r i.

Lib. III.

Initio huius libri fratri promittit Seneca se, quod ille maxime desideraverit, iam facere conaturum esse, ut iram si non ex animis possit excidere, certe restringat et vim eius inhibeat. Hoc autem tum palam et aperte esse temptandum, tum vero ex occulto. Modo verberandam illam et retro cogendam, modo cedendum ei, donec saevitia eius defervescat. Consilium pro moribus uniuscuiusque instituendum. Esse enim, qui hortationibus resistant insultentque. Alios precibus vinci, alios terrendo placari, alios iurgio, alios pudore, alios mora, ad quam tamen ultimam confugiendum esse, quia alii affectus lenes accessus habeant et tardius se curari sinant, ira vero tota sit, cum incipiat. neque id referre, quantum sit, ex quo oriatur: ex levissimis in maxima exsurgere et omnem modum transgredi. cf. Philodem. p. 54, 14 sp.: *ἀμέλει γὰρ καὶ φιλοτιμότερόν ἐστι καὶ τῆς ἐρωτικῆς ἐπιθυμίας τὸ κακὸν καὶ καταρχόμενον ἀπ᾽ ἐλαχίστου μέχρι καὶ τῶν ἐσχάτων ἐξοκέλλειν ποιεῖ.* p. 126, 27 sq.: *ἐνίοτε δὲ (κἀκινησία) ἐκ λύττης περὶ ἕτερα, διὸ φανερός ἐστιν ἐπὶ τοῖς ἐλαχίστοις παρὰ πόδας εὐθέως ἐκστησόμενος.* cf. Sen. lib. I, 18, 2, III, 6, 5.

‚Nullam transit aetatem, nullum hominum genus excipit'. (cap. II, 1.) Idem Philodemus p. 102, 30 dicit: — *παντὸς [αἱ ὀργαὶ] ἅπτονται γένους ἀνθρώπων, (οὐχ οἷον) τῶν νωχελεστάτων, οὓς (καὶ ἅμα) βαρυθυμοτάτους ἐνίοθ᾽ ὁρῶμεν.* (Sen. III, 5, 1; ‚(ut) nemo se iudicet tutum ab illa, cum lenes quoque natura et placidos in saevitiam ac violentiam evocet'. cf. Plut. VII. p. 792: *ἐν ταῖς μαλακωτάταις ψυχαῖς ἡ πρὸς τὸ λυπῆσαι ἔνδοσις ἐκφέρει μείζονα θυμὸν ἀπὸ μείζονος ἀσθενείας.*).

In eis, quae sequuntur, cum nihil invenerim, quod moneam, statim cap. X accuratius inspiciamus.

Nunquam sine querela aegra tangi Seneca auctor est (cf. I, 20, 3, p. 50). Itaque optimum esse appropinquanti

malo statim praecurrere et affectuum primum impetum inhibere. Quod fieri posse, cum irae signa praecedant. Sicut qui comitiali morbo laborent, adventare iam eum sentiant, si calor eos deseruerit et frigus secutum sit, si lumen oculorum incertum nervorumque trepidatio fiat, si memoria deficiat caputque vacillet: ita irae amoris omniumque aliorum affectuum quaedam esse praenuntia, utque illi morbum incipientem remediis occupent et odore gustu aliisque rebus repellant aut contra frigus fomentis pugnent aut, si medicina minus proficiat, fora atque vias vitare soleant, ne ab aliis videantur, ita quoque contra iram providendum esse.

Atque eodem exemplo etiam Plutarchus utitur, qui vol. VII p. 786 hoc modo disputat: *ἀτρεμεῖν οὖν κράτιστον ἢ φεύγειν καὶ ἀποκρύπτειν καὶ καθορμίζειν ἑαυτὸν εἰς ἡσυχίαν ὥσπερ ἐπιληψίας ἀρχομένης συναισθομένους, ἵνα μὴ πέσωμεν, μᾶλλον δὲ ἐπιπέσωμεν* (cf. p. 784, 785).

Neque omnia videnda neque omnia audienda esse. (cap. XI.) Si nesciremus, quae nobis factae essent iniuriae, ne sensuros quidem nos fuisse. Etenim ‚qui inquirit, quid in se dictum sit, qui malignos sermones, etiamsi secreto habiti sunt, eruit, se ipse inquietat. quaedam interpretatio eo perducit, ut videantur iniuriae'.

Optime hoc rursus Plutarchus VII p. 817: *ὅταν οὖν ἐν τούτοις γένωμαι τοῖς ἐπιλογισμοῖς, ἅμα τι πειρῶμαι καὶ τοῦ πολυπράγμονος ἀφαιρεῖν. τὸ γὰρ ἐξακριβοῦν ἅπαντα καὶ φωρᾶν καὶ πᾶσαν ἕλκειν εἰς μέσον ἀσχολίαν οἰκέτου καὶ πρᾶξιν φίλου καὶ διατριβὴν υἱοῦ καὶ ψιθυρισμὸν γυναικὸς ὀργὰς φέρει πολλὰς καὶ συνεχεῖς καὶ καθημερινάς, ὧν δυςκολία τρόπου καὶ χαλεπότητος τὸ κεφάλαιόν ἐστιν.*

Quod tam multis verbis hic eloquitur, Philodemus breviter dicit his verbis (p. 72, 26): *καὶ μυστικοὺς λόγους καὶ πράξεις ἐκκαλύπτειν.* Capite XIII deinde denuo adhortatur Seneca, ne irae exitum demus, sed signa eius obruamus eamque occultam secretamque habeamus: ‚voltus

remittatur, vox lenior sit, gradus lentior. paulatim cum exterioribus interiora formantur. In Socrate irae signum erat vocem submittere, loqui parcius. adparebat tunc illum sibi obstare. deprehendebatur itaque a familiaribus et coarguebatur, nec erat illi exprobratio latitantis irae ingrata'.

Atque hercle, bene se habet, quod hic quoque unum ex auctoribus illis, quorum ope adiuti fontes Annaeanos saepius iam investigasse nobis videmur, idem exemplum tradentem reperimus. Plutarchus enim VII p. 785 eandem historiolam paulo plenius, ceterum partim eisdem verbis enarrat, ut utrumque ex eodem fonte hic hausisse aperte videas. Ac magni illud quidem momenti est, cum maxime talibus rebus de communi fonte certum iudicium ferre possis, quod vix addubitari queat. In aliis enim licet rebus duo scriptores idem cogitent et dicant casu quodam. in exemplis eisdem tradendis rarius id fieri sumendum est, etsi hand dubie haec de Socrate memoriae prodita narratio inter antiquitatis homines tritissima erat et in multorum ore versabatur, ita ut fortasse fieret, ut eidem scriptores eandem rem narrantes vel in singulis quibusdam verbis consentirent, neque tamen ex eodem fonte hausisse sumi necesse esset. Sed ne haec quidem dubitatio diu haerebit, ubi alia graviora momenta accesserint, quae communem fontem satis luculenter demonstrabunt. Prodit igitur haec Plutarchus de Socrate: *ὅθεν ὁ Σωκράτης, ὁσάκις αἴσθοιτο κινουμένου τραχύτερον αὑτοῦ πρός τινα τῶν φίλων,* ‚*πρὸ κύματος ὥς τινα ποντίαν ἄκραν στελλόμενος*', (quae verba poetae alicuius esse Kaltwasser recte vidit) *ἐνεδίδου τε τῇ φωνῇ καὶ διεμειδία τῷ προσώπῳ καὶ τὸ βλέμμα πραότερον παρεῖχε* (Sen. ‚voltus remittatur') *τῷ ῥέπειν ἐπὶ θάτερα καὶ πρὸς τοὐναντίον ἀντικινεῖσθαι τῷ πάθει, διαφυλάττων ἑαυτὸν ἀπτῶτα καὶ ἀήττητον.*

Ad fulciendum porro nostrum quod tulimus iudicium accedit, quod verba quae deinceps apud hunc sequuntur, respondent in universum Annaeanis, quae in initio capitis leguntur. Conferas modo, quaeso, cum Seneca (cap. XIII. 1)

haec: ἔστι γάρ τις, ὦ ἑταῖρε, πρώτη καθάπερ τυράννου κατάλυσις τοῦ θυμοῦ, μὴ πείθεσθαι μηδ' ὑπακούειν προςτάττοντος αὐτοῦ μέγα βοᾶν καὶ δεινὸν βλέπειν καὶ κόπτειν ἑαυτόν, ἀλλ' ἡσυχάζειν καὶ μὴ συνεπιτείνειν ὥσπερ νόσημα ῥιπτασμῷ καὶ διαβοήσει τὸ πάθος cf. etiam p. 786 ἀτρεμεῖν et sq.

Cui vero hoc unum exemplum ex historia petitum nondum satisfecit, ut Senecam et Plutarchum ex communi auctore pendere credat, hunc magis devinciam, si aliud non minus insigne exemplum attulero et ipsum ad historiam pertinens.

Seneca enim postquam multa deinde regum Persarum facinora enarravit, qui hominibus vel ipsis rebus irati magnam crudelitatem et saevitiam agebant: Cambysis qui Praexaspis filium in convivio sagitta perfudit (c. XIV) et Aethiopibus bellum ingerens totum exercitum perdidit (c. XX), Astyagis (c. XV), qui Harpago filium necatum edendum praeposuit, Darei, qui (c. XVI, 3) Oeobazo petente, ut sibi in Scythas bellum inferens unum ex filiis tribus relinqueret, omnes tres occidit, Xerxis, qui (c. XVI, 4) Pythio roganti, ut ex quinque filiis unum militia sibi liberaret, eum, quem ille elegerat, in duas partes discissum reddidit, Cyri (c. XXI), qui Gyndae flumini obiratus occasionem Babylonis expugnandae praetermisit, quae omnia ad verbum fere ex Herodoto sumpta sunt (cf. de Cambyse Herod. III, 34. 25 sq., de Astyage I, 118 sq., de Dareo IV, 83 sq., de Xerxe VII, 38 sq., de Cyro I, 189 sq.) — capite XXII transit exempla laudanda eorum proferre, qui, neque causa irascendi neque potestate ulciscendi deficientibus, leniter tamen moderateque se gerebant et ignoscere quam vindicare maluerunt. Ac primum quidem (c. XXII) Antigonum affert, qui militibus multa in se convicia improbrantibus ne iratus quidem est, sed ioco eos punivit et hostes, qui multum deformitatem eius illusissent, urbe capta partim in cohortes descripsit, partim sub corona vendidit.

Quid, quod etiam Plutarchus eodem modo a malis iratorum exemplis ad imitanda transitum facit et Antigoni primum eadem laudabilia facta dictaque iisdem fere verbis enarrat? Quem utrumque ut ab eodem auctore originem exemplorum duxisse intellegas infra ad verbum adscribam. Est autem etiam alia apud utrumque consensio. Uterque enim praetera Alexandri saevitiam vituperat (Plut. VII, p. 795; Sen. c. XXXIII) et Philippi contumeliarum patientiam (Plut. p. 794. Sen. c. XXXIII) laudat, quamquam alter alia atque alter horum facta prodit, quam diversitatem sic facile interpreteris, ut ex copia exemplorum, quam auctor suggerebat utrumque, quae sibi placuissent, elegisse sumas. Nunc, quae de Antigono prodiderunt, ante oculos ponam.

Plutarch. VII p. 793.

Τὰ μὲν οὖν φαῦλα παραδείγματα τὴν θέαν οὐκ εὔχαριν, ἀλλ' ἀναγκαίαν μόνην εἶχε· τοὺς δ' ἠπίως καὶ λείως ὁμιλοῦντας ὀργαῖς κάλλιστα μὲν ἀκούσματα, κάλλιστα δὲ θεάματα ποιούμενος, ἄρχομαι καταφρονεῖν τῶν λεγόντων et sq.

p. 794.

διὸ καὶ συνάγειν ἀεὶ πειρῶμαι καὶ ἀναγινώσκειν οὐ ταῦτα δὴ μόνον τὰ τῶν φιλοσόφων, οὕς φασι χολὴν οὐκ ἔχειν οἱ νοῦν ἔχοντες, ἀλλὰ μᾶλλον τὰ τῶν βασιλέων καὶ τυράννων· οἷον Ἀντιγόνου τὸ πρὸς τοὺς στρατιώτας, ὅτε (Reiske, cod. *ὅτι*) *τοὺς παρὰ τὴν σκηνὴν λοιδοροῦντας αὐτὸν ὡς οὐκ ἀκούοντα, τὴν βακτηρίαν ὑποβάλλων*

Sen. c. XXII.

Et haec cogitanda sunt exempla, quae vites, et illa ex contrario, quae sequaris, moderata, lenia, quibus nec ad irascendum causa defuit, nec ad ulciscendum potestas. Quid enim facilius fuit Antigono quam duos manipulares duci iubere, qui incumbentes regis tabernaculo faciebant, quod homines et periculosissime et libentissime faciunt, [qui] de rege suo male existimant? Audierat omnia Antigonus, utpote cum inter dicentem et audientem palla interesset. quam ille leviter commovit et: ,longius, inquit, discedite, ne vos rex audiat.' Idem quadam

ἔξω· Παπαί, εἶπεν, οὐ πορρωτέρω ποι τραπόμενοι κακῶς ἐρεῖτε ἡμᾶς.

nocte, cum quosdam ex militibus suis exaudisset omnia mala imprecantis regi, qui ipsos in illud iter et in extricabile lutum deduxisset, accessit ad eos, qui maxime laborabant, et cum ignorantes a quo adiuvarentur explicuisset: ‚nunc, inquit, maledicite Antigono, cuius vitio in has miserias incidistis: ei autem bene optate, qui vos ex hac voragine eduxit.

p. 799.

καὶ τὸν Ἀντίγονον ἀπὸ τοῦ τείχους τινὲς εἰς ἀμορφίαν ἔσκωπτον· ὁ δὲ πρὸς αὐτούς· καὶ μὴν ἐδόκουν εὐπρόσωπος εἶναι· λαβὼν δὲ τὴν πόλιν ἐπίπρασκε τοὺς σκώπτοντας μαρτυράμενος, ὅτι πρὸς τοὺς δεσπότας ἕξει τὸν λόγον, ἂν πάλιν αὐτὸν λοιδορῶσιν (cf. vol. VI, p. 673. ubi simile quid de Agathocle rege Siciliae refertur).

Idem tam miti animo hostium suorum maledicta quam civium tulit. itaque cum in parvulo quodam castello Graeci obsiderentur et fiducia loci contemnentes hostem multa in deformatitem Antigoni iocarentur et nunc staturam humilem, nunc conlisum nasum deriderent: ‚gaudeo, inquit, et aliquid boni spero „si in castris meis Silenum habeo.“ Cum hos dicaces fame domuisset captis sic usus est, ut eos qui militiae utiles erant, in cohortes describeret, ceteros praeconi subiceret, idque se negavit facturum fuisse, nisi expediret his dominum habere, qui tam malam haberent linguam.

In eis, quae deinde Seneca disptat, nihil ha[illegible] fontem repererim: ideoque nihil de eis dicendum.

Restat id, ut breviter omnia quae disputata sunt comprehendens iudicium, quod de Senecae in libris de ira auctoribus mihi confirmavi, hoc loco eloquar.

Atque sic puto Senecam rem instituisse, ut Graecos auctores, qui de ira scripsissent, legeret excerperet excerptaque ita in suam disputationem contexeret, ut quibuscum consentiret, eos sequeretur, eos autem, quorum sententias non probaret, impugnaret. Imprimis autem Chrysippum secutus est, quod e Cicerone atque Galeno apparet. Deinde e Peripateticis Theophrastum et Hieronymum eum legisse equidem mihi persuasi. Hunc etiam Plutarchi auctorem videri supra (p. 8 sq.) docui. Num vero Aristotelem ex ipsius libris citaverit, dubito: immo credo ex Theophrasto ei illum innotuisse. (cf. p. 30). Pro certo tamen id affirmari potest in Philodemi *περὶ ὀργῆς* libro tam multa cognosci quae artissime cum Seneca cohaerere vidimus, ut facere non possimus, quin utriusque communem fontem statuamus. Hic qui fuerit, etiamnunc haesitans pronuntiare vix audeo. Ad duos tamen puto, animum maxime esse vertendum, ad Chrysippum et Antipatrum Tarsensem (ut equidem judico) Stoicos. Cum vero de Antipatro praeter illud unum fragmentum (apud Philodemum p. 113, 36 sq.) et locum ap. Athenae. XIV. 643 nihil extet quo eius de ira libri cognitionem accuratiorem habeamus, hunc missum faciemus, et libentius Chrysippum fontem Stoicum Philodemeum sumemus. Minime vero philosophum Gadarensem id curasse, ut ipsius sectae scripta sola perscrutaretur si quid ei scribendum esset, inde apparet, quod in opere eius *περὶ μουσικῆς* Diogeni Babylonio Stoico praeter alios permulta deberi viri docti jam animadverterunt. cf. Voll. Herc. Edit. I. vol. I. praef. p. 16 sq. Denique praeceptori Sotioni, philosopho *ἐκλεκτικῷ*, multa deberi a Seneca supra (p. 10 sq.) satis exposuisse mihi videor neque, quin plura ad illum referre possemus dubito, si aut totum eius opus, quod de ira scripsit, aut plures eius reliquiae extarent.

…ngulis auctoribus historicis, e quibus magnam …n exemplorum Seneca conquisivit ad illustrandam suam disputationem, inquirere non est huius loci; pauca ex Herodoto petita esse supra demonstravi, quaedam ex Chrysippo fortasse aut eis qui de ira scripserunt sumpta sunt. Unde autem exempla sint hominum Romanorum, quaestio est. Atque operae pretium is profecto feret, qui e Senecae omnibus operibus quos rerum scriptores secutus sit nos docuerit.

Ut finem faciamus disputationis nostrae, in universum pauca de compositione Annaeorum de ira librorum addenda sunt.

Martensio iudice (de L. Annaei Senecae vita et de tempore, quo scripta eius philosophica, quae supersunt, composita sint. Altonae 1871 p. 27) tres illi libri anno 41 p. C. scripti sunt. Rectius Lehmannus (Claudius und seine Zeit. p. 315 et sq.) anno 49 hunc dialogum compositum esse iudicasse mihi videtur. Quantum ex ipso cognosci licet, una omnes libri in lucem prodierunt et publici iuris sunt facti.

Quod si ad compositionis artificiosae leges respicies, has maxime neglectas esse videbis. Nam totiens eaedem sententiae bis vel saepius diversis locis repetuntur, ut accurata operis dispositio vix eluceat. Conferas modo ex magna exemplorum copia haec: irae signa in unoquoque libro describuntur ut I, 1, 4 sq. II, 35, 3 sq. III, 4; saepe de punitione peccantium sermo est (I, 7. I, 15. I, 16); quater impugnatur Aristotelis sententia censentis, iram utilem esse ad fortitudinem (I, 7. I, 9. I, 17. III, 3, 1): illud etiam saepius iteratur, sapientem, si quantum hominum indignitas postularet, tantum irasceretur, numquam irasci desiturum esse, (cf. II, 6, 3. 7, 2. 9, 4.) et neminem esse sine culpa (cf. I, 14. II, 28, 1). Quae I, 2 irae effectus eiusque damna commemorantur, eadem denuo III, 2 mutatis mutandis invenies. Quid, quod etiam rem de qua iam dixit, tractandam proponit, quasi nihil antea de ea disseruerit? Nam tale quid statuendum est ad c. 5 libri

Brunsvic...
ereptum lugeo, ...
Fidei sum addictus evangelicae. ... litter...
elementis imbutus vere a. LXX gymnasium Guelferby-
anum adii, quod praeside v. c. de Heynemann tunc
rebat et nunc floret quam maxime. Maturitatis testi-
onio exornatus vere a. LXXVII ad almam matrem Ge-
iam Augustam me contuli, ubi per tria semes... hi-
iae operam navavi simulque per annum stipendia
Sex deinde menses universitatis Fridericae Guilelmae
olinensis civis commoratus denuo Gottingam redii,
t studia mea continuarem ad finemque perducerem.
ocuerunt me vv. ill. Berolini: Curtius Droysen Mommsen
h. Schmidt Steinthal Wattenbach, Gottingae: Baumann
tel Dilthey Fick Goedecke de Leutsch W. Müller
uppe Volquardsen Weizsaecker.
citationibus proseminarii et seminarii Got-
logici per quater sex menses interessem
ordinarius et ordinarius permiserunt mihi
de Leutsch Sauppe; deinde seminarii pae-
alibus me adscripsit Sauppe; nec non socie-
scae Muellero duce florentis exercitationibus per
semestria interfui.

Praeceptoribus meis cum omnibus tum maxime
Diltheyo et Sauppeo, qui nunquam mihi neque opera
defuerunt neque consilio, gratiam habeo quam maximam
semperque habebo.

[illegible], 1

[illegible] III, 30, 1.

[illegible] ipse Seneca. Nam cum II, 33, 1 (cf. III, 15, 3) potentiorum iras hilari voltu, non patienter tandum ferendas esse voluerit, illo tamen loco, quo d[illegible] Cambysis in Praexaspem crudelitate loquitur (III, 14) [illegible] hunc filii mortem non modo tulisse, sed regis sagitt[illegible] mittendi artem insuper laudasse narrat, eo vociferati[illegible] prog[illegible]itur, ut patrem perditum ire necesse f[illegible] contendat.
